


REVUE

PALAESTRA

LATINA



ANN. XXVIII (Fasc. II) — N. 162
M. JUNIO A. MCMLVIII

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum.

in reliquis civitatibus, 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA**
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVIII (Fasc. II) N. 162

M. JUNIO A. MCMLVIII

A. PACITTI, <i>De unica omnium Latinorum substantivorum adjectivo- rumque declinatione</i>	322
L. M. SANSEGUNDO, «Deus» et «Dii» apud Marcum Tullium Cice- ronem	337
A. GUERCIO, <i>Francisca Ariminensis (Dante, Inf., c. V. vv. 73-124)</i>	344
N. MANGEOT, <i>De Cicerone Romanorum oratorum summo</i>	548
J. C. SCHOENBERGER, <i>De Goetheo veterum scriptorum studioso</i>	331
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: Canales</i>	353
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	356
BIBLIOGRAPHIA, I. González, J. Jiménez, J. Sidera, A. Marqués, Philopo- nus	360
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
Aulus et Marcus scholam Petunt	369
<i>Aramendia</i> , Cavenda est eventorum cupiditas.	370
Alumni inter se epistulas dant.	372
Horatius Victor	374
A. González, Ludamus pediludio.	376
Ad saltum equi, Lupus et cuniculus	378
Facete dicta	379
Verborum aenigma; Crasis intricata	386

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVIII (FASC. II) — N. 162

M. JUNIO

A. MCMLVIII

De unica omnium Latinorum substantivorum adjectivorumque declinatione

(Prima puerilis institutio)

Utinam ne nimis mihi confidere videar si in scholis puerorum posthac una eademque declinatione substantiva et adjectiva nomina declinari posse defendam, utpote quae unam eandemque originem traxerint. Tantum abest enim ut rem, de qua scripturus sum, totam esse novam singularemque dicam, quin etiam ad recentiorum grammaticorum de Latini sermonis processu doctrinam referendam esse profitear, in qua ratio viaque nostra innititur. Attamen nemo, quod sciam, ad id temporis ex Athenaeis in puerorum ludos doctrinam illam deferre ausus est, in artis formam ante redactam. Nec juvat, uti plerumque fit, passim ponere in libris ad tirones instituendos excusis inventa quae ex grammatica «historica» appellata, profecta sunt. Subsint ea potius nova fermenta nominibus in varios immutandis casus et omnia faciliora fient et oh mirum! exceptiones nebulaeque elabentur. Jam illa omittenda est translaticia et commenticia ratio, quae ab Aelio Donato profecta, tot labentibus annis, doctissimorum grammaticorum opera in dies amplior difficiliorque facta est, ita ut, nihil certi nihilque ultima cognitione dijudicati in nominum declinatione discipulis esse videatur. Quare id omnibus viribus assequi contendimus, ut unam declinationem praeberemus eis ad omnia simul declinanda substantiva nec non adjectiva nomina.

Quam rem facile perficiet quilibet puer ingenio promptus, dummodo:

I: *vera et primigenia verborum themata, per se deducere queat;*

II: *novas praeterea terminationes didicerit, per quas omnia verba in casus immutare possit.*

DESCRIPTIO THEMATUM

I: *Themata in -ā*: talia sunt consideranda themata, quae per *-a* aut per *-ae*, si pluralia tantum, in casu nominativo singulari finiuntur: «advena, baca, cunae, lupa, viola, zona (advena-, baca-, cuna-, lupa-, viola-, zona-). Masculina aut feminina sunt.

II: *Themata in -o*: talia sunt habenda nomina in *-us*, quorum pleraque sunt masculina, pauca vero neutralia («virus, vulgus, pelagus»), haud multa feminina (arborum plerumque vocabula, insularum et insuper haec: «alvus, colus, humus, vannus») et neutralia nomina in *-um*. Adde insuper nomina in *-er* et *-ir*, masculini generis omnia («calamus, gallus, medicus, reus, servus, vitulus, bellum, monumentum, ager, aper, cancer, liber, socer, vir»), quorum themata sunt: «calamo-, gallo-, medico-, reo-, servo-, vitulo-, bello-, monumento-, agro-, apro-, cancro-, libro-, socero-, viro-,» cet.)¹.

III: *Themata in -ē*: Talia sunt nomina per *-es* in casu recto finita, haud multa quidem, quae quintae declinationis vulgo dicuntur. Feminini generis sunt. Excipe «dies», quod utriusque generis est et «meridies», quod semper masculinum est nomen («acies, canities, mollities, rabies, segnitie, spes: acie-, canitie-, mollitie-, rabie-, segnitie-, spe-»).

IV: *Themata in -i*: quorum in numerum sunt adnumeranda nomina, quae per *-is -es -al -ar -e* casu nominativo sing. finiuntur, ut «amnis, ensis, hostis, securis, clades, valles, vulpes, animal, puteal, galear, conclave, mare, rete», cet. («amni-, ensi-, hosti-, securi-, cladi-, valli-, vulp-, animal-, puteali-, galeari-, conclavi-, mari-, reti-,» cet.). Haec praeterea aut a principio aut talia facta sunt: «Arpinas, cujas, nostras, Larinas, Ferentinas, Aquinas, Samnis, Quiris², sors, caro, lens (-tis), glis, mens, glans, ars, gens, mors, pars, frons (-tis), lis, linter, urbs, nix, mens, imber, frons (-dis), arx, calx, dens, mas, as, mus, merx, vis, nox»³.

V: *Themata in -ū*: Casu nominativo aut *-us*, si masculina et feminina, *-ū* autem, si neutralia, exeunt. Quartae declinationis vulgo appellantur: «adventus, arcus, discessus, equitatus, impetus, motus, usus, veru, cornu, genu

1. Nomina in *-er* antiquitus ita exhibant: *agros, *apros, *libros, *soceros, *vīros.

2. Per syncopem talia facta sunt. Antiquitus: *Arpinatis, *cujatis, cet.

3. «Frondis» (SERV.), «sortis» (PLAUT.), «carnis» (LIV.), «lentis» (PRISC.), «gliris» (CAR.), «glandis» (GLOSS.); hujusce temporis praeterea doctissimi viri Ernout, Meillet, Niedermann, Pisaní, Magnien, *artis, *gentis, *mortis, *partis, *falcis, *frondis, *litis, *lintris, *urbis, *ninguis pro: *ars, *gens, *mors, *pars, *falx, *frons, *lis, *linter, *urbs, *nix posuerunt. Credibile est veteres Latinos «imbris» quoque nominativo casu s. dixisse. Cfr. abl. s. «imbrī» apud CIC. VIRG. HOR. LUCR. et alios. Sunt denique habenda themata in *-i*, quod *-i* casu gen. pl. recipiunt: «frons (fronti-), arx (arci-), calx (calci-), dens (denti-), mas (mari-), as (assi-), mus (muri-), merx (merci-), vis (viri-), nox (nocti-). Revera eorum themata consonanti finiuntur (front-, arc-, calc-, dent-, mar-, ass-, mur-, merc-»).

(*th.*: adventu-, arcu-, discessu-, equitatu-, impetu-, motu-, usu-, veru-, cornu-, genu-).

VI: *Themata in -c- -g-*: Omnia -x casu nominativo s. terminantur. Excipe «Allec» (-cis), quod scribitur quoque per x. Ex. gr.: «dux, grex, nux, frutex, opifex, nex, pax, rex, lex, frux, prex, index», cet.: (*th.*: «duc-, greg-, nuc-, frutic-, opific-, nec-, pac-, reg-, frug-, prec-, indic»).

VII: *Themata in -t- -d-: -d- vel -t- detracta per -as -es -is -us -os casu nominativo exeunt.* Ex. gr. «aestas, aetas, eques, dos, nepos, salus, tarmes, ubertas, varietas»; masculina aut feminina sunt. «Caput», «occiput», «sinciput», neutralia sunt: (*th.*: «aestat-, aetat-, equit-, dot-, nepot-, salut-, tarmit-, ubertat-, varietat-,» cet.).

VIII: *Themata in -p- -b-*: Omnia per -ps aut -bs nominativo casu s. terminantur. Ex. gr.: «Arabs, Cyclops, daps, helops, epops, forceps, manceps». Masculina aut feminina sunt. Desunt neutrius generis nomina: (*th.*: «Arab-, Cyclop-, dap-, helop-, epop-, forcip-, mancip-»).

IX. *Themata in -l-*: Per -l casu nominativo s. exeunt. Ex. gr.: «consul, sol, exul: (*th.* consul-, sol-, exul-»).

X: *Themata in -r-*: Per -ar, -er, -ur, -or, in casu recto s. finiuntur. Masculina, feminina et neutralia sunt. Ex. gr.: «aër, aequor, ardor, cruor, fulgur, inventor, lar, far, later, murmur, olor, pallor, pudor, putor, sapor, tumor, vapor, vigor», cet., «nectar, jubar», cet. (*th.*: «aer, aequor-, ardor-, cruor-, fulgur-, inventor-, lar-, farr-, later-, murmur-, olor-, pallor-, pudor-, putor-, sapor-, tumor-, vapor-, vigor-»). Adde «jecur», «iter» et «femur», quorum themata sunt: «jecin- / jecor-, itiner-, femor- / femin-»).

XI: *Thema in -m*: hiem-s.

XII: *Themata in -n-*: Casu nominativo s. per -o terminantur ut «regio, statio, libido»; plerumque feminina sunt, pauca vero masculina: «capo, crabro, bufo, sermo, cardo, homo, ordo»; neutralia sunt quae per -en in casu recto finiuntur: «agmen, examen, limen, velamen, inguen»: excipe «flamen» = «sacerdos». (*th.*: «region-, station-, libidin-, caupon-, crabron-, bufon-, sermon-, cardin-, homin-, ordin-, agmin-, examin-, limin-, velamin-, inguin-, flamin-»).

Haec insuper themata in -n sunt: «sanguis (sanguin-), canis (can-), panis (pan-), senex (sen-), juvenis (juven-).

XIII: *Themata in -s* litteram cadentia bifariam dispertiri possunt:

a) sunt in quibus -s per rhotacismum mutatur in -r. Ex. gr.: «rus (rur-), crus (crur-), pus (pur-), genus (gener-), onus (oner-), scelus (sceler-), vulnus (vulner-), corpus (corpor-), nemus (nemor-), tergus (tergor), tempus (tempor-), cinis (ciner-), flos (flor-), mos (mor-), ros (ror-), cucumis (cucumer-), pulvis (pulver-), vomis (vomere-), tellus (tellur-), cet. Masculini et feminini generis sunt; quae autem per -us terminantur, neutralia. Excipe «tellus», quod femininum est nomen;

b) sunt autem in quibus *-s* non mutatur, geminatur interdum: «*os* (*oss-*), *vas* (*vas-*)».

* * *

Quae cum statuta sint themata, ponendae sunt terminationes, per quas in casus, genere inspecto, simul formari possint:

	<i>Masculina et feminina</i>			<i>neutralia nomina</i>		
<i>Nom.</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-s</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-m</i>
<i>Gen.</i>	<i>-i</i>	aut	<i>-(i)s</i>	<i>-i</i>	aut	<i>-(i)s</i>
<i>Dat.</i>	<i>-i</i>			<i>-i</i>		
<i>Acc.</i>	<i>-m</i>	aut	<i>-(e)m</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-m</i>
<i>Voc.</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-s</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-m</i>
<i>Abl.</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-e</i>	<i>o*</i>	aut	<i>-e</i>
<i>Nom.</i>	<i>-i</i>	aut	<i>-(e)s</i>	<i>-a</i>		
<i>Gen.</i>	<i>-rum</i>	aut	<i>-um</i>	<i>-rum</i>	aut	<i>-um</i>
<i>Dat.</i>	<i>-is</i>	aut	<i>(i)bus</i>	<i>-is</i>	aut	<i>-(i)bus</i>
<i>Acc.</i>	<i>-s</i>	aut	<i>-(e)s</i>	<i>-a</i>		
<i>Voc.</i>	<i>-s</i>	aut	<i>-(e)s</i>	<i>-a</i>		
<i>Abl.</i>	<i>-is</i>	aut	<i>(i)bus</i>	<i>-is</i>	aut	<i>-(i)bus</i>

* Thema = zero.

DE DECLINATIONIS DOCTRINA

I) DE NOMINATIVO SINGULARI

Recipiunt -s sive masc. sive fem. nominum themata in:

a) *-o*: «*lupu-s* (**lupo-s*), *rivu-s* (**rivo-s*), *dominu-s* (**domino-s*), *vannu-s* (**vanno-s*), *socer* (**socero-s*), *cancer* (**cancro-s*), *ager* (**agro-s*), *vir* (**viro-s*)», cet.;

b) *-i*: «*civi-s*, *ravi-s*, *amussi-s*, *navi-s*, *colli-s*, *siti-s*, *tussi-s*»;

c) *-e*: «*die-s*, *facie-s*, *canitie-s*, *spe-s*, *re-s*, *materie-s*», cet.;

d) *-u*: «*fructu-s*, *arcu-s*, *artu-s*, *lacu-s*, *ortu-s*, *peditatu-s*», cet.;

e) *-c*: «*dux* (**duc-s*), *fax* (**fac-s*), *nux* (**nuc-s*), *nex* (**nec-s*)», cet.;

f) *-g*: «*rex* (**reg-s*), *lex* (**leg-s*)», cet.;

g) *-p*: «*helop-s*, *Cyclop-s*, *op-s*», cet.;

h) *-t*: «*virtus* (**virtut-s*), *aetas* (**aetat-s*), *aestas* (**aestat-s*)»;

i) *-d*: «*laus* (**laud-s*), *palus* (**palud-s*)», cet.;

j) *-m*: «*hiems*».

Recipiunt -m themata in *-o*- neutrius generis. Ex. gr.: «*bellu-m* (**bello-m*), *donu-m* (**dono-m*), *poculu-m* (**poclo-m*), *stabulu-m* (**stablo-m*), *collu-m* (**collo-m*)»,

NULO EGENT INCLINAMENTO:

- a) themata in *-a*. Ex. gr.: «puella, rosa, casa, domina, zona», cet. ⁴
 b) themata in *-u* neutrius generis; ex. gr.: «cornu, veru, genu», cet.;
 c) themata his consonantibus finita (*-l-, -r-, -n-, -s-*). Ex. gr.: «consul, sol, rector, scriptor, actor, nomen, agmen, lien, attagen, vas, os», cet. ⁵

II) DE NOMINATIVO PLURALI:

Recipiunt -i: a) themata in *-a-*, sed *-i* mutatur in *-e*. Ex. gr.: «Rosa-e (*rosa-i), aula-e (*aula-i), zona-e (*zona-i), puella-e (*puella-i)», cet.;

b) nominum masc. et fem. themata in *-o-*, quae vocalis elabitur. Ex. gr.: «domini (*domino-i), agri (*agro-i), soceri (*socero-i)», cet.;

Recipiunt -s: themata masculinorum femininorumque nominum in:
-e: «die-s, re-s, spe-s», cet., quorum priora tantum pluralem numerum habent;

-u: «fructu-s, strepitu-s, artu-s, quercu-s, specu-s, ortu-s», cet.

Recipiunt -es: themata masc. et femin. nominum exeuntia in:

-i ex. gr.: cive-s, colle-s, valle-s, sede-s, hoste-s, cet. ⁶;

-c- » : duc-es, nuc-es, fac-es, nec-es, artific-es;

-g- » : reg-es, leg-es, greg-es, frug-es;

-t- » : virtut-es, aetat-es, aestat-es;

-d- » : laud-es, palud-es;

-p- » : helop-es, Cyclop-es, op-es;

-b- » : Arab-es;

-l- » : consul-es, sol-es;

-m- » : hiem-es;

-n- » : imagin-es, station-es, libidin-es, flamin-es;

-r- » : rector-es, timor-es, amor-es, actor-es, cet.;

Recipiunt -a-: a) themata neutrius generis quavis consonanti terminata. Ex gr.: «mell-a, nomin-a, agmin-a, gener-a, corpor-a, vas-a, capit-a», cet.;

b) themata in *-i-* ejusdem generis. Ex. gr.: «animali-a, cubili-a, cervicali-a, puteali-a, mari-a, reti-a», cet.;

c) themata in *-o-*: «bell-a, (bello-a)» ⁷;

d) themata in *-u-*: «cornu-a, genu-a».

4. Thematis *-a-* breviatur.

5. Neutra nomina in *-i* in casu recto *-al-, -ar-* finita, *-e* terminabantur antiquitus (*ant-male, *cervicale, cet.).

6. *-i-* thematis transit in *-e-*. Nonnulla inventuntur nomina casu nom. pl. *-is* finita. Ex. gr. «hostis», pro «hostes», cet.

7. Thematis *-o-* perit.

III) DE GENETIVO SINGULARI:

Aut per *-i-* aut per *-s-* formatur, cui interdum praeponitur *-i-*.

Recipiunt -i-: a) themata in *-a-*, quae tamen littera transit in *-e*. Ex. gr. «rosa-e (*rosa-i), advena-e (*advena-i), sica-e (*sica-i)»;

b) themata in *-o-* cujuscumque generis, quae littera perit. Ex. gr.: «domini (*domino-i), populi (*populo-i), pōpuli (*populo-i), lupi (lupo-i), agri (*agro-i), viri (*viro-i), soceri (*socero-i), libri (*libro-i), apri (*apro-i)», cet.

c) themata in *-ē-*. Ex. gr.: «re-i, die-i, spe-i, materie-i», cet.;

Recipiunt -s-: a) themata in *-i-* cujuscumque generis. Ex. gr.: «colli-s, siti-s, hosti-s, morti-s, monti-s, fonti-s, lintri-s, vectigali-s, cubili-s, mari-s, reti-s, conclavi-s, animalis-s, cervicalis-s», cet.;

b) themata in *-u-*. Ex. gr.: «lacu-s, arcu-s, artu-s, quercu-s, peditatu-s, equitatu-s; cornu-s», cet.

Recipiunt -is-: a) themata hisce consonantibus terminata:

-p- ex. gr.: op-is, dap-is, ap-is, helop-is, cet.

-c- » : duc-is, fac-is, nec-is, nuc is;

-g- » : reg-is, leg-is, frug-is;

-t- » : suavitat-is, aetat-is, aestat-is;

-d- » : laud-is, palud-is;

-b- » : Arab-is;

-l- » : sol-is, fell-is, mell-is, consul-is;

-n- » : ordin-is, virgin-is, station-is, agmin-is;

-r- » : ror-is, tur-is, color-is, odor-is, mor-is;

-s- » : vas-is, oss-is, cet.

IV) DE GENETIVO PLURALI:

Aut per *-rum* aut *-um* hic declinatur casus.

Recipiunt -rum-: a) themata in *-a-*: «rosa-rum, puella-rum»⁸, cet.;

b) themata in *-o-* cujuscumque generis. Ex. gr.: «lupo-rum, socero-rum, bello-rum, libro-rum, viro-rum»⁹, cet.

c) themata in *-e-*: «die-rum, re-rum»¹⁰.

Recipiunt -um-: a) themata in *-i-* et *-u-*: «civi-um, classi-um, ponti-um, arti-um, morti-um, lacti-um, nivi-um, cladi-um, fructu-um, artu-um, cornu-um»;

b) themata quavis consonanti finita. Ex. gr.: «consul-um, nomin-um,

8. «Drachma» et «amphora» per *-um* quoque declinata invenimus.

9. Item invenimus «virūm» pro «virorum».

10. Cetera hac vocali desinentia themata plurali numero carent.

station-um, libidin-um, imagin-um, actor-um, helop-um, Arab-um, sen-um juven-um, patr-um, matr-um, frat-um, accipitr-um»¹¹, cet.

V) DE DATIVO SINGULARI:

Recipiunt -i- omnia nomina sive vocali sive consonanti exeuntia. Ex. gr.: «Die-i, re-i, spe-i, facie-i, fructu-i; lacu-i, artu-i, sol-i, hiem-i, virgin-i, bufon-i, laud-i, duc-i, reg-i, corpor-i, ass-i, oss-i, vas-i», cet. Id tantum est animadvertendum: *-i-* mutatur in *-e-* in thematibus in *-a-*: «rosa-e, lupa-e», cet.; perit in thematibus in *-o-*: «lupo, rivo, viro, libro», cet.; miscetur cum *-i-* thematum in *-i-*: «ravi, siti, tussi, buri, colli, classi, monti, fonti, morti, lintri, imbri», cet. —Nullo autem inclinamento egent themata neutralia in *-u-*: «cornu, veru», cet.

VI) DE DATIVO PLURALI:

Recipiunt -is: a) themata in *-a-* quacum miscetur. Ex. gr.: «rosis (*rosa is), puellis (*puella-is)», cet.¹²;

b) themata in *-o-* cujuscumque generis, quacum miscetur: «lupo (*lupo-is), viris (*viro-is)», cet.

Recipiunt -bus: a) themata in *-e-*: «die-bus, re-bus»;

b) themata in *-u-*: «lacu-bus, artu-bus, quercu-bus, specu-bus, arcu-bus»¹³;

c) themata in *-i-*: «fonti-bus, monti-bus, civi-bus, ovili-bus, cubili-bus, animal-i-bus, calcar-i-bus»¹⁴.

Recipiunt -ibus: themata in consonantem exeuntia: «consul-i-bus, calor-i-bus, scriptor-i-bus, juven-i-bus, sen-i-bus, frat-ri-bus, matr-i-bus, ordin-i-bus, imagin-i-bus, corpor-i-bus», cet.

VII) DE ACCUSATIVO SINGULARI:

Per *-m* litteram hunc declinant casum masculina et feminina nomina, quorum *themata finiuntur*:

a) *-a-*: viola-m, rosa-m, procella-m;

b) *-o-*: lupu-m, viru-m, pueru-m, agru-m, libru-m¹⁵;

c) *-e-*: die-m, spe-m, materie-m;

d) *-u-*: artu-m, fructu-m, peditatu-m;

11. Quaedam sunt nomina quae modo per *-um* modo per *-ium* formantur: «ap-um/ap-ium, parent-um/parent-ium», cet.

12. Discriminis causa inventimus quoque: «filia-bus, dea-bus, mula-bus, liberta-bus», cet.

13. Cetera themata in *-u-* hanc vocalem cum *-i-* commutant, tamquam si themata in *-i* sint: «fructi-bus, portici-bus, corni-bus», cet. «Portibus» et «portubus» invenimus.

14. Sus «subus» d. casu declinatur. Ejus thema: *su*.

15. *-o-* thematis transit in *-u-*.

Quae in consonantem exeunt, eodemque genere sunt, recipiunt *-em*¹⁶:

- a) *-c-*: nec-em, radic-em, faec-em;
- b) *-g-*: leg-em, reg-em, greg-em;
- c) *-t-*: nepot-em, salut-em, equit-em, libertat-em;
- d) *-d-*: merced-em, obsid-em, ped-em, hered-em, laud-em;
- e) *-p-*: forcip-em, op-em, stip-em;
- f) *-b-*: Arab-em¹⁷;
- g) *-l-*: sol-em, sal-em, consul-em, praesul-em;
- h) *-r-*: ciner-em, mor-em, pulver-em, vener-em, tellur-em;
- i) *-m-*: hiem-em;
- l) *-n-*: splen-em, oscin-em, pectin-em, cornicin-em.

Themata in *-i-* quoque *-m* recipiunt; *-i-* thematis in hisce tantum nominibus non mutatur: «amussi-s, acc.: amussi-m¹⁸, buri-s: buri-m, cucumis: cucumi-m, ravi-s: ravi-m, vi-s: vi-m, siti-s: siti-m, tussi-s: tussi-m, febrī-s: febrī-m, resti-s: resti-m, pelvi-s: pelvi-m, turri-s: turri-m, cummis: cummi-m, Ibi-s: Ibi-m, cannabi-s: cannabim, Api-s: Api-m, Neapoli-s: Neapoli-m, Tiberi-s: Tiberi-m, Scaldi-s: Scaldi-m, Tamesi-s: Tamesi-m, Ara-r: Arari-m, Liger: Ligeri-m¹⁹, Carali-s: Carali-m»²⁰.

Cetera autem themata in *-i-* hanc vocalem per analogiam immutaverunt in *-e-*: ex. gr. «colle-m, amne-m, orbe-m, cive-m, classe-m, sede-m, angue-m, clave-m», cet.

VIII) DE ACCUSATIVO PLURALI:

Augentur *-s* cujusque ordinis masculina et feminina themata. Hoc tamen animadvertendum est, *-e* vocalem ante *-s* consuevisse praeponi thematibus consonanti finitis eadem ratione atque accusativum sing. formandum docuimus. Ex. gr.:

Themata in *-a- -e- -o- -u-*: «rosa-s, lupo-s, fructu-s», cet.

Themata in *-c- -g- -t- -d- -p- -b- -l- -r- -s- -m-*: «duc-es, virtut-es, laud-es, forcip-es, Arab-es, sol-es, auctor-es, hiem-es», cet.

Themata in *-i-* quoque *-i-* mutant in *-e-*: «cive-s, colle-s, amne-s, classe-s»²¹

Neutralia nomina *-a-* sine discrimine recipiunt. Ex. gr.: «Bella (*bello-a), mari-a, animalia, corpor-a, crur-a, capit-a, agmin-a, flamin-a (venti flatus), cornu-a», cet.

16. Antiquitus: m.

17. Vulgo Graece «Araba».

18. «Amussim» adverbii officio fungitur «Ad amussim».

19. Antiquitus: *Araris, et *Ligeris.

20. Invenimus tamen aliquot nomina modo per *-im* modo per *-em* casu acc. sing. declinata («securim et securem, puppim et puppem, febrim et febrem, restim et restem»), quae res scilicet nos docet pleraque themata in *-i-* morem secuta esse nomina quae consonanti finiuntur.

21. Invenimus tamen per *-is* aliquot nomina declinata. Ex. gr. «hostis, partis», cet.

IX) DE VOCATIVO SINGULARI:

Cum vocandi casus sit, neque ulla necessitudine cum ceteris jungatur casibus, nullo inclinamento eget. Quare aut nominativus aut themata ipsa pro vocativo ponuntur. Ex. gr.: «*rosa, lupe (*lupo-)*²², *ager (agros=agrs=agr=ager), vir (*viros=virs=virr=vir), civis, fructu-s, die-s, cornu, sol, consul, dux, suavitas, palus, ros, inventor, hiems, agmen, ulcus, cervical, mare*», *cet.*²³.

X) DE VOCATIVO PLURALI:

Eadem de causa quam supra diximus nulla egent terminatione themata nominum in casu vocativo pl. formando. Idem semper enim est ac nominativus pl.

XI) DE ABLATIVO SINGULARI:

Ad hunc formandum casum nulla egent terminatione in *-a-o-u-e-* et neutralia casu nominativo sing. exeuntia in *-al -ar* et *-e*, thematis vocali producta. Ex. gr.: «*puellō, lupō, virō, socerō, lacū, spē, cervicali, galeari, cubili*». Adde nomina quae casu accusativo sing. exeunt in *-im* («*amussi, buri, ravi, siti, tussi, vi, febrī, resti, pelvi, turri, cummi, Ibi, cannabi, Api, Carali, Neapoli, Tamesi, Scaldi, Ligeri, Arari*»).

XII) DE ABLATIVO PLURALI:

Eaedem sunt observandae leges ac dativo plurali formando.

DE ADJECTIVIS

In casu recto adjectiva ita finiuntur:

per	<i>-us</i>	<i>-a</i>	<i>-um</i>																		
»	<i>-er</i>	<i>-a</i>	<i>-um</i>																		
»	<i>-ur</i>	<i>-a</i>	<i>-um</i>																		
»	<i>-er</i>	<i>-is</i>	<i>-e</i>																		
»	<i>-is</i>		<i>-e</i>																		
»	<i>-x</i>	<i>-as</i>	<i>-is</i>	<i>-rs</i>	<i>-ns</i>	<i>-l</i>	<i>-ar</i>	<i>-ps</i>	<i>-bs</i>	<i>-es</i>	<i>-os</i>	<i>-or</i>	<i>-er</i>	<i>-ur</i>							

22. Per apophoniam quae dicitur *-o-* in *-e-* transisse vulgo putatur.

23. Quaedam sunt nomina propria quae per apocopem *-e* quoque thematis amittunt. «*An-toniu-s, Gaju-s, Tulliu-s*», *cet. voc. s.*: «*Antoni, Gat, Tulli*». Excipe *Darius*, *voc. Dariē*.

DESCRIPTIO THEMATUM

In describendis adjectivorum thematibus eadem utendum est nobis ratione qua substantiva nomina descripsimus, utpote quae cum iis semper jungantur genereque congruant.

I) *Themata* in *-a* et *-o-* sunt habenda adjectiva finita per:

- us -a -um* (bon-us, -a, -um), cet.,
- er -a -um* (piger, -a, -um), cet.²⁴
- ur -a -um* (camur, -a, -um et satur, -a, -um).

II) *Themata* autem in *-i-* sunt quae casu nominativo sing. finiuntur per:

-er -is -e (haec tantum: «acer, alacer, celer, celebrer, puter, volucer, saluber, campester, equester, pedester, paluster, silvester, terrester»), his adde nomina mensium: «September, October, November, December»²⁵;

-is- -e («dulcis, -e, suavis, -e, mitis, -e»), cet.;

-x («audax, capax, centuplex, decemplex, dicax, edax, fallax, felix, ferox, ferax, illex, exlex, linguax, mendax, mordax, multiplex, perpugnax, pernox, quadruplex, quincuplex, rapax, sagax, seminex, septemplex, sequax, sexcuplex, simplex, sternax, supplex, suspirax, sagax, tenax, trifax, trilix, trux, velox, vivax, vorax»);

-as (gen. *-ātis*) («Arpīnas, infernas, Frusinas, Ferentīnas, Larīnas, supernas, Aletrinas»)²⁶;

-is (gen. *-itis*) («Quiris, Sammis»), cet.²⁶;

-rs (gen. *-tis / -dis*) («concors, consors, discors, excors, exspes»²⁷, iners, semicors, socors, sollers, vecors»);

-ns (gen. *-ntis*) («amens, benevolens, demens, effrons, desipiens, diligens, elegans, evidens, impotens, impudens, inconstans, indecens, infans, infrequens, infrons, ingens, insipiens, insolens, insons, intemperans, irriverens, multipotens, necopinans, repens, omnipotens, potens, perpollens, praepollens, multipotens, petulans, prudens, pudens, punicans, sons, quadrupedans, recens, repens, sagittipotens, salipotens, sapiens, semihians, suaveolens, tridens, velivolans»²⁸;

24. Adjectiva quoque in *-er* et *-ur* antiquitus *-os* finiebantur haud aliter ac nomina substantiva in *-er* exeuntia: «*pigros = pigro = piger; *saturōs = saturō = satur», cet.

25. Haec adjectiva antiquitus per *-is* terminabantur in casu nominativo sing. masc. («acrīs = acris = acer, *Octobris = Octobris = Octobr = October»).

26. Olim: «*Arpinatis = Arpinatis = Arpinas, *Samnitīs = Samnitīs = Samnis».

27. Casu nom. sing. tantum usurpatur.

28. De industria omīsimus verborum participia in *-ans*, *-ens*, *-iens*, quae prout substantivorum aut adjectivorum officio funguntur alterutro declinantur more.

-l («vigil»),
 -ar («aequipar, compar, par, separ»).

III) *Themata in consonantem exeuntia* ita dispertiri possunt:

-ps (gen. -tis / -is): «anceps, biceps, centiceps, inops, particeps, peranceps, vesticeps»;

-bs (gen. -bis): caelebs;

-es (gen. -tis / -dis) aequipes, ales, bipes, caeles, Caeres, Cres, deses²⁹, dives, flexipes, sespes, hebes, levipes, praedives, praepes, quadrupes, reses, segnipes, superstes, tardipes, teres;

-l (gen. -lis):

-or (gen. -ris): bicolor, bicorpor, concolor, decolor, decor, discolor, immemor, insopor, memor, primor;

-er (gen. -ris): bigener, perpauper, proceres-procer, pauper, uber;

-ur (gen. -ris): cicur;

-es (gen. -ris): impubes, pubes;

-us (gen. -ris): vetus.

DE ADJECTIVORUM DECLINATIONE

I) Adjectiva in casu recto finita per:

-us -a -um
 -er -a -um
 -ur -a -um

more substantivorum in -o- et -a- declinantur, prout cum nominibus masculinis et neutralibus aut cum femininis ex ordine junguntur.

II) *Themata in -i-*: iisdem declinantur inclinamentis ac substantiva in -i- exeuntia. Id tantum est animadvertendum, -i- thematum in -e- transire consuevisse, in casu accusativo singulari, in nominativo et vocativo plurali, si cum nominibus masculinis aut femininis jungantur. Sin cum neutralibus sociantur nullum recipiunt inclinamentum in casibus rectis singularis numeri; -a semper nominativus, accusativus et vocativus plurales augentur.

III) *Themata consonanti littera finita*:

Eadem declinantur ratione qua substantiva, quorum themata consonanti littera finiuntur. Nullo egent inclinamento in nominativo, accusativo et vocativo singulari, si cum nominibus neutris sociantur. Hisce iisdem casibus pluralis numeri semper -a recipiunt.

29. Non videtur casu nom. S. umquam usurpatum esse.

DE DOCENDI RATIONE DISCENDIQUE USU

Nunc pauca de ratione dicam, qua in nominum adjectivorumque declinatione tractanda magister utatur, quo facilius praeceptis imbuantur discipuli, quae supra exposuimus:

in primis substantivorum thematum divisionem quam supra diximus eos attentissime doceat in reque ita perseveret, ut sponte ac sine ulla dubitatione themata nominum, quorum usus vulgaris communisque est, distinguere discipuli discant.

Quam materiem si in promptu habeant, dubium non est quin expedite nomina declinent.

Id cum magister assecutus fuerit, ne simul, de more, totam casuum doctrinam, sed binos, si lubet, hac ratione discendos iis apponat: duos antea nominativos, dein accusativos, inde vocativos, tum genitivos, ablativos denique et dativos et omnia ita digerat ordinetque ut inter utramque rem haud parum intersit temporis, quo multum diuque sive ex Latino sermone sive in Latinum elocutionibus locisque vertendis opportune selectis exerceantur adolescentuli.

Haec eadem in studio adjectivorum est adhibenda via, quorum doctrina facillima intellectu erit, quippe quae per totidem fere themata ac substantiva sint dispertita eorumque declinationem, perspecto genere, sequantur.

Quod si quis objecerit ad hanc institutionem opus esse profecto doctis ac peritissimis magistris, qui Latinitatem calleant, cum omnibus sine discrimine doctoribus non possit accommodari, cumque omnes fere homines novitates horreant actaque collaudent... respondeam nihil hic praecipere invitis, nihil fieri non posse a volentibus.

Eam tamen ab ipsa natura sua prodentem, eam prorsus futuri temporis grammaticen appellare ausim.

Frusinone, in Italia, mense Augusto M.DCCCCLVIII

AMADEUS PACITTI, Prof.

SUBSTANTIVORUM EXITUS

Declinatio thematica sive per vocalem
Masculini et feminini generis

Declinatio athematica sive per consonantem
Masculini et feminini generis

Decl. thematica - Declinatio athematica
Neutrius generis nomina

N.	Themata	-ā	-ō	-ē	-ī	-ū	-c	-g	-t	-d	-p	-b	-l	-m	-n	-r	-s=r	-ō	-ī	-ū	-n	-r	-s	-s=r	-l
		S.	NOM.	ō	-s ⁹	-s	-s	-s	-s ¹	-s ¹	-s ²	-s ²	-s	-s	0	-s	0	0	0	-m	-o ¹⁹	ō	0	0	0
GEN.	-ī ³		-ī ⁴	-ī	-s	-s	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs	-ī ⁴	-s	-s	-īs	-īs	-īs	-īs	-īs
DAT.	-ī ⁵		-ī ⁶	-ī	-ī ⁷	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī ⁶	-ī ⁸	ō	-ī	-ī	-ī	-ī	-ī
ACC.	-m		-m ⁹	-m	-m ¹⁰	-m	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-em	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-e-m ¹⁸	-m ⁹	-o ¹⁹	ō	0	0	0	0	0
VOC.	ō		ō ¹⁷	-s	-s	-s	-s ¹	-s ¹	-s ²	-s ²	-s	-s	0	-s	0	0	0	-m ⁹	-o ¹⁹	ō	0	0	0	0	0
ABL.	ō		ō	ō	-ē ¹¹	ō	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē	0	0	ō	-ē	-ē	-ē	-ē	-ē
P.	NOM.	-ī ³	-ī ⁴	-s	-s ¹²	-s	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ā ¹³	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	
	GEN.	-rum	-rum	-rum	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um	
	DAT.	-īs ¹⁴	-īs ¹⁴	-bus	-bus	-bus ¹⁵	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-īs ¹⁴	-bus	-bus ¹⁶	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	
	ACC.	-s	-s	-s	-s ¹²	-s	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ā ¹³	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	
	VOC.	-ī ³	-ī ⁴	-s	-s ¹²	-s	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ēs	-ā ¹³	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	-ā	
	ABL.	-īs ¹⁴	-īs ¹⁴	-bus	-bus	-bus ¹⁵	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-īs ¹⁴	-bus	-bus ¹⁶	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	-i-bus	

Annotatiunculae: — 1. c. + s = x, g + s = x. — 2. Pereunt -t- -d- ante -s-. — 3. -i transit in -e-. — 4. Thematis -o- perit. — 5. -i- transit in -e-. — 6. -i perit. — 7. Miscetur cum -i- thematis. — 9. Thematis -o- transit in -u-. — 10. Exceptis nominibus, quae -i- thematis servant, cetera in -e- mutant. — 11. Exceptis nominibus, quae -i- thematis servant, cetera per analogiam mutant in -e-. — 12. -i- thematis semper transit in -e-. — 13. -o- thematis perit. — 14. -īs longa est syllaba, quippe quae ex -a + is et -o + is profiscitur. — 15. -u- thematis plerumque transit in -i-. — 16. -u- thematis pl. transit in -i-. — 17. -o- thematis per apophoniam transit in -e-. — 18. Antiquitus: m. — 19. Nomina in -al et -ar per apocopen talia facta sunt cum e- perierit.

ADJECTIVORUM EXITUS

N.	Exitus in casu recto:	-us	-a	-um	-er	-is	-e	-ps	-bs	-es	-l	-or	-er	-ur	-es	-us	
		-ur	-a	-um	-is	-as	-is	-rs	-l	-e	-ar						
		-er	-a	-um	-x	-as	-is	-rs	-l	-ar							
THEMATA:		-o-	-a-	-o-				-i-									
GENERA:		M.	F.	N.	M.	F.	N.	M. F.	N.								
S.	NOM.	-s ¹	0 ⁶	-m ¹	-s ¹¹	-s	15 0 / -s	-s	-s	0	0						
	GEN.	-i ²	-i ³	-i ²	-s	-s	-s	-is	-is	-is	-is						
	DAT.	-i ⁴	-i ³	-i ⁴	-i ¹²	-i ¹²	-i ¹²	-i	-i	-i	-i						
	ACC.	-m ¹	-m	-m ¹	-m ¹³	-m ¹³	15 0 / -s	-em	-s	-em	0						
	VOC.	0 ⁵	0 ⁶	-m ¹	-s ¹¹	-s	15 0 / -s	-s	-s	0	0						
	ABL.	0 ⁷	0 ⁷	0 ⁷	0	0	0	-e	-e	-e	-e						
P.	NOM.	-i ⁴	-i ³	-a ⁸	-ēs ¹⁴	-ēs ¹⁴	-a	-es	-a	-ēs	-a						
	GEN.	-rum	-rum	-rum	-um	-um	-um	-um	-um	-um	-um						
	DAT.	-īs ⁹	-īs ¹⁰	-i ⁹	-bus	-bus	-bus	-ibus	-ibus	-ibus	-ibus						
	ACC.	-s	-s	-a ⁸	-es ¹⁴	-ēs ¹⁴	-a	-es	-a	-ēs	-ēs						
	VOC.	-i ⁴	-i ³	-a ⁸	-es ¹⁴	-ēs ¹⁴	-a	-es	-a	-ēs	-ēs						
	ABL.	-īs ⁹	-īs ¹⁰	-īs ⁹	-bus	-bus	-bus	-ibus	-ibus	-ibus	-ibus						

Annotatiunculæ: 1. -o- thematis transit in -u-. 2. -o- thematis perit. 3. -i transit in -e. 4. -i perit. 5. -o- thematis per apophoniam mutatur in -e. 6. -a thematis breviatur. 7. -o- et -a- thematis producitur. 8. -o- thematis perit. 9. -o- thematis miscetur cum -is = is. 10. -a- thematis miscetur cum -is = is. 11. Attamen adjectiva finita per -er (acer), -s perit una cum -i- thematis (antiquitus enim dicebant *acris = acers = acer). 12. -i- miscetur cum -i- thematis -i. 13. In hoc casu, minime vero in casu abl. s., per analogiam adjectiva -i-

thematis mutant in -e-, quæ littera substantivorum est (milit-em). 14. Eadem de causa quæ antea diximus -i- thematis transit in -e-. 15. -i- thematis in -e- mutatur; -s- autem invenitur solum in adjectivis per -as, is et -rs; ex. gr. *Arpinas, Samnis, expertis (gen. *Arpinatis, Samnitibus, expertibus), quæ nomina olim Latini pronuntiabant in casu recto: *Arpinatis, Samnitibus, expertibus.

“DEUS” ET “DII”

apud Marcum Tullium Ciceronem

Cogimur confiteri, non esse plures deos, sed unum Deum principem (Cic. Vide infra loc. mem.).

Cicero, cum saepe alias, tum maxime cum de Deo Deique natura sermonem institueret, verbis semper est usus ad popularem modum sensumque accommodatis. Quod quidem ipsemet palam professus est, cum dixit: «Quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse est»¹. Idque ne discreparet a vulgi opinione et loquendi consuetudine neve in offensionem populi caderet. Porro, cum de rebus divinis ageret, ad communem intelligentiae vim atque notionem sua decreta effinxit, Deosque saepenumero vim quandam caelestem ac divinam, aut naturam cum diceret, *Deum*, omnino intellegere voluit.

Igitur, apud illum:

DEUS ET DII UNUM IDEMQUE NOTANT, NIMIRUM DEUM OPTIMUM MAXIMUM

Itaque multis locis «Deus» et «Dii» promiscue ponit, cum idem fere semper significant. Ex quibus, ut res legentibus pateat, libet referre nonnullos. Sunt autem hujus modi:

«Est igitur, quoniam nihil est ratione melius eaque est in homine et in Deo, prima homini cum Deo rationis societas; inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est; quare cum sit lex, lege quoque consociati homines cum *Ditis* putandi sumus»².

Nihil est ratione melius eaque est in homine talium vi, natura, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem, quod volo naturam omnem regi?... Nihil curare *Deum* nec sui nec alieni»

³. «...parent autem huic caelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti *Deo*; ut jam universus hic mundus una civitas sit communis *Deorum* atque hominum existimanda»⁴.

«Ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem et divinam existimare debemus». Et paucis rursus interjectis: «Et si ratione

1. *De Leg.* 1, 6, 19. — 2. *De Leg.* 1, 7, 23. — 3. *Ibid.* — 4. *De Leg.* 1, 7, 23.

et sapientia nihil est melius, necesse est haec inesse in eo, quod optimum esse concedimus»⁵.

«...animum esse ingeneratum a Deo. Nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei... Nulla gens est, quae non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat qui, unde ortus sit, quasi recordetur et agnoscat. Jam vero, virtus eadem in homine ac Deo est»⁶.

«...sit nulla gens, nullum genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum... Intellegi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. Placet illi Deos esse, quia necesse sit praestantem esse aliquam naturam qua nihil sit melius»⁷.

«Homo generatus a summo Deo»⁸. «Animum ille procreator mundi Deus ex sua mente et divinitate genuit»⁹. «Donis impii ne placare audeant Deos; Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus Deus, cum vir nemo bonus ab improbo se donari velit»¹⁰. «Natura Deorum praepotens... nulli naturae alii oboediens Deus»¹¹.

Qui loci, uti vides, nihil habent discriminis, quod intercedat inter numerum singularem et pluralem. Facile autem augeri posse ejusmodi locorum numerum, non est quod moneam. Quem in finem, ne lectoribus taedio sim, tantum comparasse juvabit, quae inferius posita recensentur¹².

Et re quidem vera, cum orator Romanus sive de Deo sive de Diis loquitur, nihil aliud designare intendit, quam «aliquem effectorem vel moderatorem mundi»¹³; «perfectam aliquam atque absolutam rationem»¹⁴, «quam necesse est — cum in nobis sint consilium, ratio et prudentia —, haec ipsa habere majora»¹⁵. Nihil aliud, inquam, designare vult, quam «divinitatem»¹⁶, «unde omnes animos delibatos»¹⁷, «decerptos»¹⁸, «haustos»¹⁹ habeamus.

Ex Tullii namque sententia, Deus est omnium rerum auctor, conditor et rector. Nihil est in universo terrarum orbe, quod ab ipso, ut summo rerum opifice, non dimanare constet. Nulla res, nulla virtus in caelo ipso eminet, ejus auctorem Deum fateri non debeamus. Quin etiam, omnes rerum protectiones uni divinae potentiae referendae sunt; cujus quippe unius a voluntate, nutu et imperio omnia pendeant. Jam vero, nimius forem si ejus

5. Vide *De Nat. Deor.* 2, 18, 22. — 6. *De Leg.* 1, 8, 24-25. — 7. *De Nat. Deor.* 1, 16, 43 sqq. *Tusc.* 1, 13, 30. — 8. *De Leg.* 1, 7, 22. — 9. *Tim.* 5. — 10. *De Leg.* 2, 16, 41. — 11. *De Nat. Deor.* 2, 30, 77. — 12. *Acad.* 1, 8; *De Nat. Deor.* 2, 30, 77; *De Fin.* 3, 19, 64; *Tusc.* 1, 49, 118; *De Sen.* 12, 39; multis praeterea locis «Deus» et «Dii» promiscue ponuntur; sic, exempli gratia, conferas *De Nat. Deor.* 1, 32, 91; 1, 38, 106; *Tusc.* 1, 36, 101, cet. — 13. *Tusc.* 1, 28, 70; *De Nat. Deor.* 1, 36, 100. — 14. *De Nat. Deor.* 2, 13, 34. — 15. *De Nat. Deor.* 2, 31, 79. — 16. *De Div.* 2, 11, 26. — 17. *De Sen.* 21, 78. — 18. *Tusc.* 5, 13, 38. — 19. *De Div.* 2, 11, 26.

ipsius verbis omnia haec comprobare vellem. Sed tamen, ne cuidam haec a nobis gratuito affirmari videantur, quae Cicero multis in locis asseruit, nos in unum coacervare conabimur in hunc modum:

«Est autem princeps Deus²⁰, qui ab omni aeternitate fuit²¹, et summus rector²², sapientia perfecta²³, nulli naturae oboediens aut subjectus²⁴, ipse Deum genitor²⁵, rex et pater hominum²⁶, cujus unius numine omnes Dii reguntur²⁷, et supremæ legis jussis vita hominum obtemperat²⁸; qui cursus astrorum²⁹, mutationes temporum rerumque vicissitudines conservat³⁰, terras et maria contemplatur, hominum commoda vitasque tuetur³¹, qui nostrum animum ex sua divinitate delibavit³² similem sui»³³.

Alia omitto, quae tu ipse vide, si lubet.

Verum enim vero —dices— haec attributa et proprietates Cicero Jovi aliquando rettulit, hoc pacto: «Qui potuisset assensu omnium dicere Ennius: Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem? Illum vero et Jovem, et dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et, ut idem Ennius, patrem divumque hominumque, et praesentem ac praepotentem Deum»³⁴. Et alio loco, cum loquitur de Chrysippo: «... illius legis perpetuae et aeternae vim Jovem esse»³⁵. Et alibi: «Jovem unum omnium Deorum et hominum regem esse; qui rex putatur unus in caelo, qui nutu, ut ait Homerus, totum Olympum convertit³⁶, cujus unius numine ut principes rerum publicarum censent omnes Deos regi³⁷, sic etiam vel tyranni Jovis optimi nomine se malunt reges vocari»³⁸.

At nihil refert. Nam etiam his locis Cicero ad mentem populi suam accommodavit sententiam eique prorsus servivit. Et nemo ignorat, ut Hebraei ad Dei numen designandum «Jeova» appellabant, ita Romanos eum «summum Jovem» dicere solitos.

DEUS, SUMMA ET INEXHAUSTA BENIGNITAS

Sed gradum faciamus.

Deus, sua qua est benignitas inexhausta, omnibus latissime patuit. Omnibus enim praesto est opemque opitulatur amplissime. Bonitas in eo est tanta quanta potest esse maxima. Et quod ad ejus aeternitatem attinet,

20. *Somn. Scip.* 3 et 4. — 21. Cf. *Somn. Scip.* 8; *De Leg.* 1, 6, 19; *Tim.* 6. — 22. *De Fin.* 4, 5, 11. — 23. *Acad.* 1, 8; *De Nat. Deor.* 2, 31, 79; cf. *Acad.* 2, c. 7. — 24. *De Nat. Deor.* 2, 30, 7. — 25. *De Div.* 1, 11, 19. — 26. *De Rep.* 1, c. 36; *De Nat. Deor.* 2, 2, 4. — 27. *De Rep.* 1, c. 36. — 28. *De Leg.* 3, 1, 3. — 29. *Acad.* 1, c. 8 extr. *De Nat. Deor.* 1, 20, 52. — 30. *Ibid.* *Nat. Deor.* 1, 20, 52 sqq. — 31. *Nat. Deor.* loc. mem. Cf. etiam *Tim.* c. 8 et *De Fin.* 4, 5, 11. — 32. *Tim.* c. 8 et *De Sen.* 21, 78. Eadem fere verba invenies in libro *De Div.* 1, 49, 110; *Tusc.* 5, 13, 38; *Leg.* 1, 22, 59. Consule etiam *De Amic.* 4, 13 et *Tusc.* 1, 26, 65-68. — 33. *De Leg.* 1, 8, 25. — 34. *De Nat. Deor.* 2, 2, 4 et 2, 25, 65. — 35. *De Nat. Deor.* 1, 15, 40. — 36. *De Rep.* 1, c. 36; *De Nat. Deor.* 2, 11, 29; *De Rep.* 2, c. 4 et 1, c. 33. — 37. *Ibid.* *De Rep.* 1, c. 6. — 38. *Ibid.* loc. mem. *De Rep.* 1, 33 et 2, 4.

nullo initio temporis circumscribitur, nullo saeculorum fine terminatur. Quid de immensitate? Ubique praesens est, cumque nullis locorum spatiis constringi possit, per omnia com meat, eaque etiam quae densissimis occulta sunt tenebris, intuetur. Ad haec eventura novit omnia ac velut praesentia contemplatur. Ille intimos animorum recessus ac latebras contuetur et cogitationes omnes exploratas habet. Denique ejus numine sua providentia rebus humanis, non modo universis sed etiam singulis consulit.

Rursus compendio utar in Ciceronis verbis recitandis:

«In Deo inest summa benignitas³⁹, in cujus tutela salus hominum est⁴⁰, sapientia⁴¹, sanctitas⁴², veritas et fides⁴³, justitia⁴⁴. «Ubique praesens est⁴⁵, ei nihil est obscurum⁴⁶, efficere potest quicquid vult⁴⁷. Non solum semetipsum suamque ipsius vim perfectissimam et praestantiam optime novit⁴⁸, sed hominum etiam sensus vitasque penitus retentat⁴⁹. Ejus providentia omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque administrantur⁵⁰. Omnia sentit⁵¹, praeterita tenet, futura providet, complecti potest praesentia»⁵².

«Cum igitur omnia Deo sint subjecta⁵³, sequitur postremo, ut mundus, maria terraeque ejus numini⁵⁴, utque homines cum Diis huic descriptioni caelesti pareant⁵⁵. Quam ob causam etiam vetat dominans ille in nobis Deus injussu hinc nos suo demigrare»⁵⁶.

Haec de «Deo», nunc vero de «Diis» videamus quid Cicero sentiat.

DE VERA NOTIONE POPULARIUM DEORUM

Vox «Dii» non semper subjectam Dei veri notionem apud Tullium habet. Non numquam enim deos sive poetarum fabulis, sive a vulgi opinione inventos significat. Interdum vero vocabulum hujuscemodi homines notat de patria benemeritos, qui in deorum numero sunt relati. Quos quidem omnes «populares Dii» a Tullio vocantur.

Ac primum quidem philosophi docuerunt, hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videbant antiqui: «solem dico — ait Cicero — et lunam et vagas stellas et inerrantes et caelum et mundum ipsum. et earum rerum vim, quae inessent in omni mundo cum magno usu et commo-

39. *De Leg.* 2, 13, 32. — 40. *De Fin.* 3, 20, 66. — 41. *Acad.* 1, 8; *De Nat. Deor.* 2, 31, 79. Cf. *Acad.* 2, c. 7. — 42. Cf. *De Leg.* 2, c. 8 et c. 10. — 43. *De Nat. Deor.* 2, c. 31; *De Div.* 2, 62, 127. — 44. Cf. *De Fin.* 1, c. 16. Item. *De Fin.* 4, 5, 11 et *De Leg.* 2, 7, 19. — 45. Cf. *De Nat. Deor.* 2, 28, 71 et 1, c. 15. Consule item *ibid.* 2, 25 et 26. — 46. *De Nat. Deor.* 3, 39, 92. — 47. *De Nat. Deor.* 3, 39, 92. — 48. *Acad.* 1, c. 8. — 49. Cf. *Tusc.* 1, 22, 52; *De Leg.* 1, c. 22. *De Fin.* 5, 16, 44. — 50. *De Rep.* 3, 22. Cf. *De Nat. Deor.* 2, 30, 77 et 80; *De Div.* 1, 51, 117. — 51. *De Div.* 1, 11, 17. — 52. *Tusc.* 1, 27, 66. — 53. *De Nat. Deor.* 2, 32, 81. — 54. *De Div.* 1, 53, 120. — 55. *De Leg.* 1, 7, 23. — 56. *Tusc.* 1, 30, 74; *De Sen.* 20, 73; *Somn. Scip.* c. 3. Cf. etiam *Tusc.* 1, 49, 118.

ditate generis humani»⁵⁷. Ita primum sideribus divinitatem tribuendam astraque in numero Deorum ducenda esse censuerunt⁵⁸.

Reliquorum autem —quos Graeci δαίμονα appellabant, «nostri —opinor— Lares, si modo hoc recte conversum videri potest—, et nosse et nuntiare ortum eorum majus est, quam ut profiteri scribere audeamus»⁵⁹. Ad quos is Deus qui omnia genuit sic fatur: «Haec vos, qui deorum satu orti estis, attendite: Quorum operum ego parens effectorque sum, quae per me facta, non sunt dissoluta me invito, quamquam omne colligatum solvi potest. Sed quoniam orti estis, immortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis. Ut igitur mortali generentur condicione, vos suscipite, ut illa gignatis imiteminique vim meam, qua in vestro ortu me usum esse meministis»⁶⁰. Ergo is quidem, qui cuncta composuit, constanter in suo manebat statu, «qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognovissent, hunc sequebantur, imitantes genitorem et effectorem sui»⁶¹.

Verum etiam ex alia ratione, «et quidem physica magna fluxit multitudo deorum, qui induti specie humana fabulas poëtis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni refenserunt»⁶². «Nam vetus haec opinio Graeciam opplevit, exsectum Caelum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Jove. «Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas; caelestem enim, altissimam aethereamque naturam, id est, igneam, quae per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis quae conjunctione alterius egeret ad procreandum»⁶³. Et protinus subjungit: «Videte si igitur, ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio sit ad commenticios et fictos deos?»⁶⁴.

Age dum, ex hominibus etiam dii facti sunt. Suscepit enim vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent⁶⁵. Hinc, cum tam multa summo labore pro salute gentium gessisset Hercules ad deos abiit, quem hominum fama «beneficiorum memor in concilio caelestium collocavit»⁶⁶. At vero «quis tam caecus in contemplantis rebus unquam fuit, ut non videret species istas hominum, collatas in deos aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitae pravitate converterent, aut superstitione, ut essent simulacra, quae venerantes deos ipsos se adire crederent?»⁶⁷. «Quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles»⁶⁸.

57. «Populares autem Dii multi», dicit Cicero in *De Nat. Deor.* 1, 13, 32. De sole et stellis tanquam diis a vulgo cultis, vide *De Nat. Deor.* 2, 31, 80; 1, 12, 30; 2, 14, 3. — 58. *De Nat. Deor.* 2, 15, 39 et 42. — 59. *Tim.* c. 11 et 13. — 60. *Ibid. Tim.* — 61. *Ibid.* — 62. *De Nat. Deor.* 2, 24, 63, seq. — 63. *Ibid. De Nat. Deor.* loc. mem. Cf. *De Nat. Deor.* 1, 15, 40; *Somn. Scip.* c. 4. — 64. *De Nat. Deor.* 2, 26, 66 sqq. et 2, 28, 70. — 65. *De Nat. Deor.* 2, 24, 62. — 66. *De Off.* 3, 5, 25. — 67. *De Nat. Deor.* 1, 27, 77 et 2, 28, 70. — 68. *Ibid. De Nat. Deor.* 2, 28, 70.

Ut putat Cicero⁶⁹ superstitio fusa per gentes oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Quod latius persequitur in iis libris qui sunt de natura Deorum. Unde, «Multum enim, ait, et nobismetipsis et nostris profuturi videbamus, si eam superstitionem funditus sustulissemus. Quamobrem superstitionis stirpes omnes ejiciendae sunt»⁷⁰.

Adde quod imperitorum opinio, partim superstitione, partim poëtarum commentis, multos insuper deos invexit, ad instar hominum adumbratos, immo vero, bestiarum more confictos. Cum de iis agitur, Cicero ludit interdum ac familiariter per risum et jocum facete cavillatur, cum ait: «Isto enim modo dicere licebit Jovem semper barbatus, Apollinem semper imberbem, caesios oculos Minervae, ipsam autem galeatam, caeruleos esse Neptuni. Et quidem laudamus Athenis Vulcanum eum, quem fecit Alcamenes: in quo stante atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus Deum, quoniam de Vulcano sic accepimus»⁷¹.

Et alibi, non minus acute: «Num igitur esse tales putas? Vulgus non solum hominis membra deo tribuit, sed usum etiam membrorum. Dat enim arcum, sagittas, hastam, clipeum, fuscinam, fulmen»⁷².

De magnis autem quae olim credebantur apud inferos portentis, ita habet: «Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum fuisse, aut chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae ista extimescat?»⁷³.

Harum autem omnium superstitionum causa fuerunt etiam figmenta pictorum opificum, itemque poëtarum, qui tot levia ac nugatoria —ut fit— adumbrant, qui tot commenta deblaterant et fingunt nec caput nec pedes habentia: «Auxerunt istos errores poëtae, pictores, opifices. Ipsi genera, conjugia, cognationes omniaque traduxerunt ad similitudinem imbecillitatis humanae»⁷⁴. Et rursus alibi: «Quantum vero poëtae vocibus fusa ipsa suavitate nocuerunt»⁷⁵. Haec et dicuntur et creduntur stultissime, et plena sunt futilitatis summaeque levitatis»⁷⁶.

Et postquam de infinita paene deorum turba facete aequae atque eleganter disputavit, «non philosophorum iudicia —se exposuisse dicit— sed delirantium somnia»⁷⁷. Rem autem omnem concludit in hunc modum: «Ergo hoc aut in immensum serpet, aut nihil horum recipiemus, nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. Nihil ergo horum probandum est. Non igitur aeterni isti Dii! Quod enim ex atomis, id natum aliquando est; si natum,

69. *De Div.* 2, 72, 149. — 70. Vide loc. mem. *De Div.* — 71. *De Nat. Deor.* 1, 30, 82. — 72. *De Nat. Deor.* 1, 36, 100. — 73. *De Nat. Deor.* 2, 2, 5. — 74. *De Nat. Deor.* 2, 28, 70. — 75. *De Nat. Deor.* 1, 16, 42. Cf. etiam *De Nat. Deor.* 2, 28, 70. — 76. Loc. mem. *De Nat. Deor.* 2, 28, 70. — 77. *De Nat. Deor.* 1, 16, 42. Et non multo post: «Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini: Ingressus, cursus, accubatio, inclinatio, sessio, comprehensio, ad extremum etiam sermo et oratio» (*De Nat. Deor.* 1, 24, 94).

aliquando est; si natum, nulli Dii, ante quam nati; et si ortus est Deorum, interitus sit necesse est»⁷⁸.

QUID ERGO? NON SUNT PLURES DII, SED UNUS DEUS PRINCEPS

«Ex aequabilitate motus conversionumque caeli, pulchritudine ordineque mundi, deinde ex hominum sollertia, et opportunitatibus omnium rerum, cogimur confiteri, esse rectorem et moderatorem et tamquam architectum tanti operis tantique muneris⁷⁹. Esse aeternam naturam⁸⁰, qua nihil praestantius sit⁸¹; esse non plures Deos⁸², sed unum Deum principem⁸³, et summum⁸⁴, omnium optimum omniumque rerum potestate dominatuque dignissimum⁸⁵, omnibus denique virtutibus praeditum»⁸⁶.

Haec est, nisi me fallit, vera atque germana de «Deo» et «Diis» Tulliana sententia. Deus Ciceronis — ut paucis quae dixi adstringam — est Deus unus, rerum summus arbiter, bonorum fons et oceanus omnium. Alii autem dii tum a superstitione populari, tum a poetarum pictorumque ingenio vel inventi vel ficti, fabularum commenta sunt, quae tempora omnino delebunt.

Quae cum ita se habeant jam patet Deum hujusmodi nec transversum digitum a Deo Socratis discessisse, nec tantillum a Platonis sententia discrepasse. Non frustra Cicero Marco filio suo dixerat: «Socratici et Platonici volumus esse»⁸⁷.

LEO M.^a SANSEGUNDO, O. S. B.

Medellii in Columbia, III Nonas Octobres a. MCMLVII.

78. *De Nat. Deor.* 3, 20, 52 et 1, 8, 20; item *De Nat. Deor.* 1, 24, 68 et 3, 13, 32. Quae quidem argumenta confirmat postea, cum dicit: «Haec omnia ad quoddam tempus cohaerere possunt, semper autem nullo modo possunt; necesse est enim in suum quaeque locum natura rapiatur» (*De Nat. Deor.* 3, 14, 34). Et item alibi: «Non est igitur mundus Deus; quodsi mundus universus non est Deus, ne stellae quidem, quas tu innumerabiles in Deorum numero reponebas» (*De Nat. Deor.* 3, 9, 23). — 79. *De Nat. Deor.* 2, 5, 15 et 1, 20, 52; *De Div.* 2, 72, 148; *De Nat. Deor.* 2, 6, 18 et 2, 53, 132. — 80. *De Div.* 2, 72, 148. — 81. *De Nat. Deor.* 2, 30, 77 et 3, 8, 20. — 82. Quod non plures dii sint, sed tantum unus Deus princeps, colligi potest, et quidem ratione certa et inconcussa, ex istis locis Ciceronis: «esse non plures deos»: *De Nat. Deor.* 2, 28, 70; 3, 20, 52; 3, 16, 41; 1, 15, 38; 1, 24, 94. 1, 29, 82; 3, 9, 23; 1, 24, 68; 1, 36, 100. Vide etiam *Tusc.* 1, 26, 65; 3, 13, 32; 3, 24, 61. — 83. De uno Deo principe, vide *Somn. Scip.* c. 3. — 84. *Somn. Scip.* c. 4. — 85. *De Nat. Deor.* 2, 11, 29; 1, 43, 121; 2, 6, 17; 2, 7, 17; 1, 36, 100. — 86. Cf. *De Nat. Deor.* 2, 7, 18 et 2, c. 31 et 32; item, 2, 13, 36. — 87. *De Off.* 1, 1, 2.

FRANCISCA

(DANTE, *Inf.* c)

- 73 Tunc ego sic orsus: «fert corde, poëta, voluntas
compellare duos illos hac una obeuntes,
qui levioire labore videntur cedere ventis.
- 76 «Cum nobis», inquit, «propiores esse videbis,
dic veniant, si quo magno ducuntur amore,
et venient». Illos simul ad nos flamina flectunt,
- 79 talia continuo sum blanda voce locutus:
«O miseri nimium, quid vos sociare dolorem
dicite compulerit, si quis vetuisse negabit».
- 82 Quales, si qua ciet secreta cupido columbas,
alas elatas aequant sublime volantes,
ipseque ducit amor dulcem contingere nidum;
- 85 tales tunc illi decedunt agmine Didus
unaque adveniunt inter mala flamina lapsi,
tanta fuit nobis pietasque vigorque vocando.
- 88 «O quem suadet, quisquis es, officiosa voluntas
aëra per nigrum nos visere turbine mersos,
quorum resperso terrae erubuere cruore;
- 91 si Rector rerum nunc nobis esset amicus,
dulce foret pacem pro te exorare precando,
tanti namque malí discis miserescere nostri.
- 94 Sed, quodcumque loqui seu vos audire juvabit,
jam non invitos audire loquive jubetis,
perpetuo stridens dum ventus forte quiescit.
- 97 Est immota quies ubi nata ego, litora propter
quae Padus, aequali delabens agmine, mordet,
jamque per ora bibit cognata sub aequore pacem.
- 100 Ille Amor, in primis qui mollia pectora mulcet,
hunc nostrae cepit visae oblectamine formae;
unde neces, vulgata et laesi fama pudoris.
- 103 Ille Amor, heu, qui nemini amato adamare pepercit,
cepit me tam fortiter huic quod sola placerem,
ut non linquat, et ipse vides, post limina Ditis.

ARIMINENSIS

vv. 73-142)

- 73 *Io cominciai: «Poeta, volentieri
parlerei a quei due che'nseme vanno,
e paion sì al vento esser leggieri».*
- 76 *Ed elli a me: «Vedrai quando saranno
più presso a noi; e tu allor li priega
per quello amor che i mena, ed e'verranno».*
- 79 *Sì tosto come il vento a noi li pliega,
mossi la voce: «O anime affannate,
venite a noi parlar, s'altri nol niega!»*
- 82 *Quali colombe dal disio chiamate,
con l'ali alzate e ferme, al dolce nido
vegnon, per l'aere dal voler portate;*
- 85 *cotali uscir de la schiera ov'è Dido,
a noi venendo per l'aere maligno,
sì forte fu l'affettuoso grido.*
- 88 *«O animal grazioso e benigno,
che visitando vai per l'aere perso
noi che tignemmo il mondo de sanguigno,*
- 91 *se fosse amico il re de l'universo,
noi pregheremmo lui de la tua pace,
poi c'hai pietà del nostro mal perverso.*
- 94 *Di quel che udire e che parlar vi piace,
noi udiremo e parleremo a vui,
mentre che'l vento, come fa, ci tace.*
- 97 *Siede la terra dove nata fui
su la marina, dove'l Po discende
per aver pace co'seguaci sui.*
- 100 *Amor, ch'al cor gentil ratto s'apprende,
prese costui de la bella persona
che mi fu tolta; e'l modo ancor m'offende.*
- 103 *Amor, ch'a nullo amato amar perdona,
mi prese del costui piacer sì forte,
che, come vedi, ancor non m'abbandona.*

- 106 Ille Amor egit nos una succumbere morti:
 dira Caina manet, quisquis nos caede peremit». .
 Talia ab illis verba ad nos prolata per auras.
- 109 Cum vidi offensas animas tam indigna tulisse,
 defixa intendi ora soloque immobilis haesi,
 donec: «Quae tibi» doctor ait, «nunc mente revolvis?»
- 112 Haec ego vix fatus, potui cum reddere voces:
 «Quot dulces animis sensus, quae grata voluptas
 impulit incautos in tam lacrimabile letum!»
- 115 Dein ad maerentem, quae nuper sola locuta,
 rursus ego: «O mulier, tanto vexata labore,
 aequae me pietas deflere iubet, dolor aequae;
- 118 sed, cum fallebant molles suspiria somnos,
 quod primum signum, vel quae spes nuntia amoris,
 quod tempusve fuit dubitantia noscere vota?»
- 121 Tunc illa: «Heu, nimium mortalia pectora tangunt,
 cum subeunt qui jam fulsere dies, miserandis
 in rebus; testis sit qui tibi doctor eunti.
- 124 Sed, si tantus amor primas cognoscere causas
 saevae quae crevit nostro sub pectore flammae,
 est ut agam ceu qui dicendo flere iubetur.
- 127 Forte legendo olim delectabamur in umbra
 ut Lancillottus correptus amore fuisset;
 nos soli: carpebat mens necopina quietem.
- 130 Saepe, legendo, oculos oculis adjecimus ultro,
 et jam non eadem nobis vox, non color idem;
 sed locus in libro fuit, heu, qui perdidit ambos.
- 133 Namque, ut amata diu pulcherrima legimus ora
 jam victa attolli pallentis ad oscula amantis,
 hic, qui numquam a me divisus flamine abibit,
- 136 plane amens, misereque tremens, os miscuit ori.
 Ipse liber Galeottus erat, qui scripsit et ipse;
 illa jamque die caeci non legimus ultra».
- 139 Haec alter, flebat secum insatiabilis alter;
 at pietate mihi velantur lumina nocte,
 viresque effugiunt, ut si mors proxime adesset,
- 142 donec concidi item ut procumbit humi grave corpus.

- 106 *Amor condusse noi ad una morte:
«Caina attende chi vita ci spense!»
Queste parole da lor ci fur porte.*
- 109 *Quand'io intesi quell'anime offense,
china'il viso, e tanto il tenni basso,
fn che'l poeta mi disse: «Che pense?»*
- 112 *Quando rispuosi, cominciai: «Oh lasso,
quanti dolci pensier, quanto disio
menò costoro al doloroso passol!»*
- 115 *Poi mi rivolsi a loro e parla'io,
e cominciai: «Francesca, i tuoi martiri
a lagrimar mi fanno tristo e pio*
- 118 *Ma dimmi: al tempo de'dolci sospiri,
a che e come concedette amore
che conosceste i dubbiosi disiri?»*
- 121 *E quella a me: «Nessun maggior dolore
che ricordarsi del tempo felice
ne la miseria; e ciò sa'l tuo dottore.*
- 124 *Ma s'a conoscer la prima radice
del nostro amor tu hai cotanto affetto,
farò come colui che piange e dice.*
- 127 *Noi leggiavamo un giorno per diletto,
di Lancialotto, come amor lo strinse;
soli eravamo e senza alcun sospetto.*
- 130 *Per più fiate li occhi ci sospinse
quella lettura, e scolorocci il viso;
ma solo un punto fu qual che ci vinse.*
- 133 *Quando leggemmo il disiato riso
esser baciato da cotanto amante,
questi, che mai da me non fia diviso,*
- 136 *la boca mi baciò tutto tremante.
Galeotto fu'l libro e chi lo scrisse:
quel giorno più non vi leggemmo avante».*
- 139 *Mentre che l'uno spirto questo disse,
l'altro piangea, sì che di pietade
io venni men così com'io morisse;*
- 142 *e caddi come corpo morto cade.*

DE CICERONE ROMANORUM ORATORUM SUMMO

Quoad artes liberales et eloquentia florebunt et colentur, meritissimo Cicero celebrabitur. Natus Arpini anno a. Chr. n. 106 et praeclarissimis naturae dotibus ornatus, inde a puero animum cum ad diversa studiorum genera tum maxime ad artem dicendi summa contentione et assiduitate applicuit. Ac primum quidem Romae M. Antonio et L. Crasso oratoribus, Accio et Archia poetis, Phaedro philosopho Epicureo, Mucio Scaevola juris peritissimo est usus. Sic jactis humanitatis fundamentis anno 79 in Graeciam veluti ad omnium tunc temporis artium bonarum fontem secessit, ut eruditionem amplificaret. Athenis Demetrio rhetore, Antiocho Academico, Zenone Epicureo, in Rhodo insula Molone oratore illustrissimo biennium plurimum profecit. Nec tamen unquam totius vitae decursu de augenda scientia remittebat. Quamquam ad res forenses dimicationesque et ad studia pacifica natus esse dicendus est, nihilominus ut Romanus sibi temperare non poterat, quin in arenam politicam ingrederetur. Ideo anno 75 in Sicilia quaestoris, anno 69 aedilis curulis, anno 66 Urbis praetoris, anno 63 consulis munere est functus, quo tempore Catilinae conjurationem suppressit. Sed cum Caesaris ingenio perspicacissimo dominandique studio flagranti et triumvirorum potentiae esset impar, anno 58 in exilium actus, anno autem post cum honore revocatus, pristinam dignitatem recuperavit et proconsul Ciliciae est creatus. Rei publicae defensor acerrimus, cum Caesar et Pompejus de summa imperii decertarent, in summas incidit angustias. Postquam Caesar victor evasit, ipse Cicero, ut solis vacaret studiis, de scaena politica decessit. Caesare interfecto iterum in res politicas tunc aetatis tumultuosissimas est abreptus. Putabat enim se pristinam libertatem posse retinere, sed pessimum rei publicae ac factionum statum paulum perspiciebat. Quare vehementissime in Antonium invehens nobiles illas quindecim orationes Philippicas habuit. Quod cum Antonius et maxime ipsius conjux Fulvia aegerrime ferrent, auctorem invisum perimendum curarunt. Ita Tullius pro vindicanda rei publicae libertate gladio adversariorum occubuit, postquam Cato Minor ob eandem causam post Caesaris apud Thapsum pugnam anno 46 Uticae manus sibi intulit.

Haec quidem de Tullii vita. Jam ponamus, quantae auctoritatis et ponderis, non solum apud Romanos, sed etiam posteritati fuerit. Italia, vergente in Domini adventum saeculo, duplici illustrabatur lumine: Caesare et Cicero. Quorum prior, orator licet fervidus, imperator summus, vir omnibus numeris eruditus, tamen in rebus politicis plurimum valebat. Nam omnium, quae subsecuta sunt, temporum fundamenta posuit viamque stravit.

Posterior autem de perpolianda lingua Latina, arte dicendi, litteris atque humanitate optime est meritis. Si Dante et Goethe ipsorum linguae merito formatores praedicantur, idem de Cicerone dicendum est, qui dictionem Latinam ad absolutionem adduxit. Dictio enim Ciceroniana est quasi flos sermonis Latini et omnia Tullii scripta venustate, elegantia dignitateque nunquam peritura praestant. Eadem, cum res diversissimas tractent, totam sermonis litterati et cotidiani copiam exhauriunt, et omnis orationis solutae exemplar sunt et forma.

Copiam verum scriptorum et varietatem si vel parum consideraris ipsum summe doctum, industrium ingeniosumque merito dixeris. Scripta copiosa in quattuor dividuntur capita: Orationes, scripta philosophica, oratoria, epistulas. Exstant orationes integrae quinquaginta septem; orationum tituli triginta, orationum sedecim fragmenta. Continent scripta oratoria: «de inventione, de oratore, Brutus de claris oratoribus, orator ad Brutum, partitiones oratoriae, topica, de optimo oratorum genere». Scripta philosophica habent: «de re publica, de legibus, paradoxa Stoicorum, academica, de finibus malorum et bonorum, disputationes Tusculanae, de Deorum natura, Cato Major de senectute, de divinatione, de fato, Timaeus, Laelius de amicitia, de officiis». Deperierunt injuria temporum: «Hortensius (laudatus summopere ab Augustino Sancto) de gloria, de virtutibus, consolatio ad Tulliam filiam, de jure civili in artem redigendo», historia ipsius temporis Graece scripta. Exstant octingentae sexaginta quattuor epistulae: ad familiares, ad Atticum, ad Quintum fratrem, ad Brutum. Mehercule opus aere perennius!

Epistulae —copiosissimus antiquitatis totius fons et thesaurus— in saecula subsecutura scribendi epistulas forma et exemplar fuerunt. Ex ipsis plus solito apparet, qualis Cicero fuerit: homo laudis quidem ambitiosus, sed amicus vere fidelis, de servis sollicitus, vir facilis et amabilis, fabulator factus, optimus pater familias. Scripta oratoria digna Aristotele et Quintiliano, norma et regula praestantissima omnium, qui posthac artem dicendi essent docturi, nec minus fructus maturi studii diuturni, contentionis nunquam fatigatae et summi rerum usus. Haud minore laude digna sunt scripta philosophica. Etsi vix nova affert Cicero nec novas patefacit vias, tamen plurima philosophiae antiquae ab interitu vindicavit. Medium tenet inter siccam Aristotelis et Platonis poëticam orationem et in seligendis et tractandis rebus sua utitur via et ingenio. Romanus cum esset, religione, rebus ethicis et politicis maxime alliciebatur. In illo «de Deorum natura» libro ordinem teleologicum totius universi exponit ac Deum infinite sapientem, potentem, benignissimum necessarie esse demonstrat. Nonne hic prope ad religionem Christianam accedit? Anima naturaliter Christiana! Etsi in tanto tot diversarum, quae tunc aetatis vigeabant, sententiarum aestu una cum Platone vitam post mortem felicem magis divinabat quam sperabat, tamen et Deum esse et animam immortalem lucide demonstrabat. His nixus fundamentis bonum

honestum ceteris omnibus praefert indeque virtutes singulas evolvit. In tanta ejus operum multitudine vix inveniuntur, quae pudicitiae officiant. Et contra omnia scripta religionem quandam et gravitatem spirant, a lascivis tunc aetatis moribus prorsus alienam. Quin etiam maximo operi, quod posthac doctores Christiani essent confecturi, quasi praecurrit, cum dicit: «Non erit alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed omnes gentes et omni tempore una lex sempiterna et immutabilis et continebit et unus erit communis quasi magister et imperator omnium: Deus» (*de re publica*, 111, 22).

Est Cicero in omnibus scriptoribus Graecis et Latinis peritissimus et cum artis amore summam elegantiam conjungit; inferior Demostheni acriter lucideque demonstrando et concludendo, sed dictionis venustate et omnimoda eruditione superior, a nullo oratore sive Graeco sive Latino superatus. Inde optimi quique omnium gentium eruditarum oratores eo utebantur et utuntur magistro. Ipsae verum orationum dispositiones psychologicae sunt artis eximiae et auctorem demonstrant rerum hominumque cognitorem praeclarissimum. Jam in tropis figurisque juste, ornate, ingeniose adhibendis nemo est, qui eum vincat, ne Demosthenes quidem. Ludit veluti poëta in ornatu poëtico. Huc adde elegantissimas periodos, quae multitudine, venustate, sermonis integritate summopere legentium animos delectent. «Quid in lingua Latina excellentius Cicerone inveniri potest?» (ST. AUG., *De magistro*, c. 5, n. 16).

N. MANGEOT, S. J.

DE GOETHEO VETERUM SCRIPTORUM STUDIO

Johannem ¹ Wolfgangum Goetheum (1749-1832) summum poëtam Germanorum fuisse neminem fugit, qui quidem primis, ut ajunt, labris historiam recentiorum litterarum gustaverit. Sed haud scio an non omnes sciant eundem Graecis Romanisque scriptoribus enixe operam dedisse et in eorum virorum fuisse numero, qui secundo, quem vocant, humanismo viam muniverunt. Jam puerulus Homeri Iliadem Germanice redditam, quam in patris bibliotheca forte fortuna invenerat, summa cupiditate perlegit. Latine autem eadem aetate tam bene didicit, ut ea lingua satis commode uteretur, id quod in libro de sua vita scripto ipse affirmat ². Itaque, cum adolevisset, praestantissimos poëtas scriptoresque Romanos diligenter legit et majorem utique fructum inde percepit quam nos alii homunciones. Neque tamen Graecos poëtas neglexit, immo Homerum Graece legere coepit, qua in re tantos fecit progressus, ut cum nonnullis amicis rationem quandam communicaret, qua vocabula Homerica facilius memoriæ mandari possent. Theognidem quoque saepe se evolvisse alicubi narrat. Quid? quod etiam in Pindari carmina incubuit, quae difficillima ad intellegendum esse constat. Ad horum igitur poëtarum exempla condidit carmina epica, hymnos, elegias. Cui enim, ut hymnos elegiasque silentio praetereamus, ignotum est carmen ejus epicum, quod «Hermannus et Dorothea» inscribitur et quod Homeri imitationem singulis paene versibus prae se fert? Magnopere autem dolendum est, quod aliud carmen epicum, Achilleidem, multis negotiis districtus imperfectum reliquit. Sed ne omnia ejus opera versu heroico conscripta enumerando lectoribus languorem et molestiam afferamus, ad has illius tragoedias transimus, quarum argumenta aut e fabulis (mythologia) veterum aut ex historia hausit. Atque primo quidem loco ponenda est «Iphigenia Taurica», divinum quoddam opus et quod Euripidis fabulam cognominem humanitate longe superet. Deinde commemoramus tragoediam «Helenam» (id est nup-

1. Johann Wolfgang von Goethe. Johannes: de ratione hujus nominis Latine scribendi confer hos libros: *Novum Testamentum*, Graece et Latine, ed. Augustinus MERK. editio quinta, Romae 1944, pag. 306 (et alibi): «Sanctum Iesu Christi evangelium secundum Iohannem», cf. pag. 7: «Textus Latinus complures mutationes subiit. Primo orthographiam plerumque ad codices antiquos adaptavimus», seq. *Regesta Pontificum Romanorum*, ed. Philippus JAFFÉ, tomus primus (a S. Petro ad a. MCXLIII), Lipsiae 1885, pag. 109: S. IOHANNES I 523-526. Corpus Christianorum, quod Turnholti Belgarum inde ab anno 1954 editur, cf. speciatim vol. 36: «Sancti Aurelii Augustini in Iohannis Evangelium Tractatus CXXIV».

(Turnholtum, -i n. = Turnhout, Belgique).

2. Cf. Goethei opera, ed. Henricus KURZ (Lipsiae s. a.), vol. X pag. 38 et 407.

tias Helenae cum Fausto) secundo Fausti tomo insertam³. Tum efferimus allegoricam, ut ita dicam, fabulam, quam «Pandoram» inscripsit. Multa alia molitus erat, velut «Caesarem», «Prometheum liberatum», «Nausicam», «Iphigeniam Delphicam», sed, ne ea absolveret, impeditus est partim officiis partim oblectationibus, quibus in aula Vimariensi («Vimāiö, -ae f.» = Weimar) fruebatur. Longum est narrare, quantum studium consumpserit in doctrinas veterum quantaque admiratione artificia Graecorum persecutus sit. Reliquum est igitur, ut nonnullas ejus sententias afferamus, unde appareat, quanti ille Graecorum Romanorumque bonas artes et linguas fecerit. «Impriinis» inquit⁴ «mihi persuaseram et in dies magis mihi persuadebam maximi momenti esse linguas veteres, quibus et omnia artis oratoriae exempla et omnia alia sunt tradita, quae umquam apud mortales praeclara fuerunt. Maximum autem studium tum ad linguam Latinam conferebam, quod non solum optima Romanorum scripta per se ipsa nobis recentiorum temporum hominibus facilius quam Graeca se insinuant, sed etiam praeter haec tanta exempla summorum quoque ingeniorum et doctorum, quotquot umquam fuerunt, opera aut Latine scripta aut in Latinam linguam conversa sunt». Et alio loco haec dicit⁵: «Utinam studium Graecarum Latinarumque litterarum in omne tempus quasi fundamentum sit eruditionis atque humanitatis. Nam quae veteres Sinenses, Indi, Aegyptii reliquerunt nihil aliud sunt atque mirabilia quaedam. Bene quidem facimus, si illa cognoscere studemus cognitaque cum aequalibus nostris communicamus, sed ad mores emendandos animosque expoliendos parum valent». Sed haec quidem hactenus. Doleo autem, quod hic ne parvam quidem partem eorum librorum et scriptorum afferre possum, quae in Germania de «Goethe und die Antike» typis expressa sunt.

Dilinga⁶ ad Danubium sita.

J. CAROLUS SCHOENBERGER

3. In eadem Fausti parte legitur egregius ille «Conventus nocturnus daemonum Graecorum» (*Klassische Valpurgisnacht*), qui barbaro strigarum conventui in prima Fausti parte exhibito respondet.

4. Loco citato p. 207

5. Operum pars XII pag. 724 sq.

6. Dilingā, -ae f. = *Dillingen*, adj. Dilingānūs, -a, um. (cf. SLEUMER, Albert, *Kirchenlateinisches Wörterbuch*, editio altera, Limburg/Lahn 1926, pag. 275. Ceterum hujus lexicī nova editio bene emendata et valde aucta paratur).

NOVA ET VETERA

CANALES*

1. Omnes naturae vires homo diligentissime investigat, ex quibus magnam in dies percipit utilitatem et fructum. In his naturae viribus aqua —in mundo universo ubique copiosissima— eminet, quae non tantum ad hominum et animalium potum usui est piscibusque elementum¹ in quo vivant et moveantur, sed est praeterea vel ab antiquissimis temporibus praecipua via qua homines per magnos oceanos ab una in aliam continentem terram trajiciant ad mercaturam faciendam vel ad nova loca invisenda.

2. Sunt tamen aquae hinc inde ad terras constitutae —parvoque dissociatae isthmo— quae si hominis opera et industria conjungantur, magna navigationis itinera vitantur. Ideo et Ptolemaei et Pharaones Nilum cum Mari Rubro canalibus² conjungere sunt conati et Graeci Isthmum Corinthium fossa^{2'} proscindere voluerunt quo duo maria isthmo dissociata copularent —quod tandem saeculo superiore feliciter ad effectum perductum est—, Augustusque claustra Lucrino lacui addidisse narrat Vergilius (*Georg.* 2, 161).


Haud pauci hujusmodi canales sunt exstructi; in quibus praecipui fama

1. **elementum** [*elemento - élément - elementum*]; ab optimis Latinitatis scriptoribus adhibetur tantum plurali numero; sed non est cur, necessitate compulsi, *elementum* usurpare nequeamus cum apud Plinium, et quidem de aqua, scriptum legamus: «Aquatilium secuntur in medicina beneficia... hoc *elementum* ceteris omnibus imperat» (*Nat. Hist.* 31, 1, 1); cfr. etiam: «Gignit aliqua et contrarium naturae *elementum*» (*N. H.* 11, 36, 42 (119).

2. **canalibus** [*canal - canal - canale*]: «*Canalis* est alveus, tubus, fistula, meatus, plerumque arte in similitudinem *cannae* factus, qui tamen potest esse et apertus» (FORCELLINI, s.

v.). «Per tria autem passuum milia partim effosso monte partim exciso *canalem* absolvit aegre et post undecim annos» (Suet. *Claud.* 20). Item *fossa*^{2'} dici potest: «Ab averno lacu navigabilem *fossam* usque ad ostia Tiberina depressuros promiserunt squalenti litore aut per montes adversos» (Tac. *Annal.* 15, 42); et *euripus*: «Euripi dicuntur alvei, fossae, aut canales manu facti magnifico opere, qui aquas in morem fluviorum deducunt: quod sicut in marinis fretis, ita in his aquae ripis utrinque angustis inclusae decurrant... Dicuntur etiam *nili*, sed cum discrimine, quia nili exiliores sunt et angustiores, euripi ampliores» (FORCELLINI, s. v.)

* Confer superiores picturas earumque explicationes de *maris* (PALAESTRA L. 24 (1954) 148). et de *amni* (25 (1955) 164 ssq.). — Numeri, qui parenthesi continentur, ad picturam appositam referuntur.



apud omnes praestant Canalis seu Euripus Suetiensis³ et Canalis Panamensis. Leges et pacta condiciones edicunt quibus in pace et in bello canales patriae naves et extrerae trajicere possint. Nemo est qui nostris his diebus incursum in Euripum Suetiensem factum ignoret.

3. Praeter maria sunt amnes, e quibus multi altam aquae copiam continent et navigabiles sunt; quorum exundantia fluminum anniumque fluentia homo sagaciter coëgit canalibusque compressit quibus ad navigandum, ad res transferendas trajiciendasque, ad irrigandas terras, ad fluctum electricum⁴ generandum, ad multarum artium utilitatem amplissime uteretur. Cum vero duo sunt rivorum fluentia quae ad libellam⁵ non respondent, claustrum⁶ (2) efficitur ostiisque ad aquam immitendam et emittendam instruitur ut naves ab una fluminis aqua in aliam transmeare possint.

3. **Euripus Suetiensis** [*Canal de Suez*]: ita Bacci (*Lexicon*, s. v. *canale*), ex *Alma Roma*, Commentario.

4. **fluctum electricum** [*corriente eléctrica - corrent électrique - corrente elettrica*]: ita Mariano (*Nuovo Dizionario italiano-latino*, 1956); «rivulus electrīdis, fluctus rivuli electrīdis, fluentum electricum» (COGNASSO, *Il latino*, s. v. *corrente*), cfr. ejusdem COGNASSI *Colloquia Latina*, p. 5: «fluctus electrīdis, rivulus electricus, fluentum electricum»; Bacci habet: «electris-īdis», qui hanc vocem et adjectivum «electricus, a, um», praeter cetera ab aliis proposita retinenda recte censet; «vis electri-

ca, electricitas»: WAGNER (*Dictionarium Hungarico-Latinum*, s. v. *villamosság*).

5. **ad libellam** [*nivel - niveau - livello*]: de qua voce cfr. lexica.

6. **claustrum** [*esclusa - écluse - chiusa*]: «Generatim ponitur tere de omnibus, quae claudendo qualibet ratione inserviunt, ut sunt aggeres, saepta, moenia, vallum, etc., imo etiam dicitur de quovis loco concluso» (FORCELLINI, s. v.) ubi claustra Hellespontī a Xerxe et lacus Lucrinī ab Augusto exstructa memorantur; quo quidem nomine etiam aquae receptacula, de quibus est sermo, *claustra* appellari posse videntur.

4. Ut autem canales moderentur et ad aequabilitatem dirigantur praegrandia conformantur aquarum receptacula ⁽⁴⁾ quae stagna vel lacus artificiosi ⁷ appellantur. Hae stagnantes aquae aggeribus ⁸ ⁽³⁾ continentur ne exundent; ex his fit aquae derivatio ⁹ ⁽⁴⁾, quae per fossam ⁽⁵⁾ deducitur; aqua vero pedetentim et moderate ostiis seu cataractis ¹⁰ ^(1 6) in aggere constitutis emittitur; quod si aqua redundat, per emissarium ¹¹ profluit aut per exonerationis cataractam ¹².

In canalibus qui ad rigandum in primis inserviunt cataractae pluteis ¹³ ⁽⁷⁾ instruuntur qui, ut aquae viam patefaciant, machinatione aliqua attolluntur, quo in rivulos ⁽⁸⁾, canaliculos, fistulas, incilia, sulcos, aqua derivatur.

5. Canales fluctui electrico generando saepe lapideis fornicibus per montes — ut aquae praecipites maxima decidant impulsione — deducuntur; deinde aquae tubulis metallicis vel e lithocolla ¹⁴ comprimuntur et in sedem primariam ¹⁵ electrici generandae penetrant ubi sunt rotae ¹⁶ aquariae, quae labentis aquae vim impulsamque in vim motoriam commutant.

7. **lacus artificiosi** [*embalse, pantano*]: inscriptionibus, monumentis, historia Romae multos fuisse lacus constat in quibus aquae ex aquae ductibus in usum publicum recipiebantur; qua ducti ratione receptacula, in quibus aquae ad irrigandos agros, ad electricitatem gignendam continentur, nostra aetate «lacus artificiosi» vel «stagna artificiosa» dici possunt.

8. **aggeribus** [*presa - digue - diga*] cfr. Vergilius, *Aen.* 2, 496:

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exit, oppositasque evicit gurgite moles.

Ex quo etiam moles dicuntur «quae fiunt ex saxis, terra, materia et in mare jaciuntur portibus muniendis vel piscinis faciendis».

9. **aquae derivatio** [*canal de derivación - presa d'acqua*]: cfr. Mariano s. v. *presa*.

10. **cataractis** [*compuerta*]: «Sunt etiam cataractae claustra in fluminibus arte facta ad aquarum impetum temperandum. PLIN. 10 *Ep.*: Cataractis aquae cursum temperare» (FORCELLINI, s. v.).

11. **emissarium** [*vertedero*]: «Opera multa perfecti: in his emissarium Fucini lacus» (SUET. *Claud.* 20); «emissarium» autem est locus unde aqua emittitur.

12. **exonerationis cataractam** [*compuerta de descarga, desagüe*].

13. **pluteis** [*alza*]: plutei dicuntur tabulae quibus aliquid praesaepitur

14. **lithocolla** [*cemento - ciment - cemento*]: adhibetur a Calonghi, Bacchi, Egger, cfr. PALAESTRAM LATINAM, 27 (1957) 228

15. **sedem primariam electrici generandae** [*central eléctrica - central électrique - centrale elettrica*]: Bacchi (*Lexicon*, s. v. *centrale*): «primaria electrici machinamenti, vel electricae machinationis sedes»; saepe sufficit: «sedes electrici generandae, sedes electricidis».

16. **rotae aquariae** [*turbina - turbine - turbina*]: «aquilega rota» (MARIANO, s. v.); «rota aquaria, rota aquilega» (BACCI, s. v.), «turbo, inis, m» (DUMAINE, *Conversations latines*, 3 ed., p. 291; PALAESTRA LATINA 2 (1932) 58; «turbo, inis m.; turbinea, machina turbine mota; rota aquilega» (COGNASSO, *Il Latino*, s. v.; cfr. etiam ejusdem *Colloquia Latina*, p. 5). — Cum vero vox «turbina» — ut ab etymorum inquisitoribus explicatur (cfr. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Gredos, Madrid, t. IV, s. v. *turbar*, n. 1) a «turbine» (*turbo, inis*) sit educta, haec in Latino sermone non prorsus rejicienda videtur ut vox technica, quae et «turbinea (machina) forsitan vocari possit cum adjectivum «turbineus» ab Ovidio sit usurpatum.

J. M.^a MIR, C. M. F.

PER ORBEM

Ciceronis commemoratio. — Romae, in Capitolio solleminter acta est bis millesima a Cicerone occiso publica commemoratio, quam studiose paravit et in eventum prosperum adduxit Institutum Studiis Romanis provehendis et Consilium Studiis Ciceronianis fovendis. Celebrationi praefuit Italicae Rei Publicae Moderator Supremus, et Arpini et Romae Praefecti, cum aliis clarissimis viris. Orationem habuit luculentissimam cl. v. Hyginus FUNAIOLI, Doctor vices Praesidis Consilii Studiis Ciceronianis fovendis gerens, qui de Ciceronis universalitate locutus est. De Cicerone autem asseruit argumentisque validissimis roboravit quod jam saeculo p. Ch. I Cremutius Cordus asseruerat: «Ingenium esse quod populus Romanus par suo imperio habuit».

—Hoc anno Ciceronis memoria merito ab inimicorum injuriis vindicatur. Oratoris Romani in posteros vim ac momentum argumentis elata ac firmata videas in commentatione quam Petrus CONTE in Actis quibus est index «L'Osservatore Romano», 16 m. febr. a. 1958 (*Per un miglior giudizio su Cicerone*). Legas quoque quam in iisdem Actis scriptam vulgavit H. Tondini die 10 m. jan. a. 1958.

—Id quoque accepimus P. Miltonium VALENTE, S. J., natione Brasiliensem, librum edidisse *L'éthique stoïcienne chez Cicéron*, in quo vel ex ipsa rei materia clare perspicitur Ciceronem, etsi multa a Graecis mutuatus sit, fuisse tamen et in philosophia plane suum et Romanum, qui philosophiae laudem languenti Graeciae fere eripuit et in Urbem transtulit.

—Consilium Studiis Ciceronianis novos commentarios quibus sit index *Ciceroniana* vulgare se velle nuntiavit; quibus faustum fortunatum felicem eventum exoptamus.

Conventus. — Proximo anno Londinii a die 31 m. Aug. ad 5 m. Sept. conventus congregabitur omnium Consociationum quae in singulis nationibus studia classica fovent atque tutantur. Quem conventum ut pararent Londinium convenerunt plures legati e Foederatione Societatum Studiis Classicis promovendis. Ibi statuta sunt quae proximo anno in contionibus matutinis, quae in vespertinis tractanda essent. Quaestiones agitabuntur de Homeri poëtae historicis et archaeologicis adjunctis, de tragoedia quid Graeci senserint, de Circulo Scipionum, de poëtis aetatis Augustae vel Flavianae deque aliis rebus.

—Roma diebus 4 ad 8 m. sept. superiore anno III conventus Internationalis Epigraphiae Graecae et Latinae congregatus est. Qui participes ejusdem fuerunt, verba audierunt jucundissima a Pio XII, Pontifice Maximo prolata.

—Etiam superiore anno —indulgeant lectores nos, etsi non senes, acti temporis laudatores effectos videri— die 5 ad 9 m. Augusto, Oslai (*Oslo*) habitus est VIII Congressus Internationalis «Linguistarum», qui dicuntur. Ut peritissimorum virorum Congressus, valde frequens fuit.

—Ut superioribus fasciculis nuntiavimus, proximo m. sept. Lugdunum conventient Socii illius Societatis Gulielmi Budé nomine insignitae, ut bis millesimum anniversarium ab illa urbe condita celebrent. De his in genere disseretur: de Aristotele, de Caesare, de Antiquitatibus Gallicis Romanisque in regione Lugdunensi, de Religione Christiana Lugduni propagata, de poëtis Latinis et Graecis apud poëtas s. XVI et in schola Lugdunensi.

—Mense quoque Septembri celebrabitur Conventus Internationalis Archaeologiae Graecae et Romanae Romae congregandus, finiendus Neapoli, cui conventui praeerit A. MAIURI, in opera adjutus a doctore ab actis A. ROMANELLI. In eo agitantur quaestiones de inventionibus archaeologicis in Graecia, in Italia, Romae nuperrime peractis, atque de vi et momento humanitatis cultusque classici etiam in illos populos ultra fines Graeciae et Romani Imperii constitutos. Ita prosequetur hujusmodi Congressuum series, quae interrupta fuit bello diro universo. Superior conventus habitus est Berolini m. augusto a. 1939.

Institutum nationale fabulis antiquis in scaenam inducendis. — Hoc nomine nihil aliud significare volui quam quod Italice *Istituto Nazionale del drama antiquo* nuncupatur. Quod Institutum ab anno 1914 mirum in modum in scaenam inducit fabulas a scriptoribus Graecis Romanisque scriptas, quas ita ornat ac praeparat, ita proprio perfusas lumine videntium audientiumque oculis subicit, ut omnium plausus et laudes sibi comparent et excitent. Fabulae in illis quae adhuc exstant theatri antiquis eduntur, Palermi, Tindaris, Pompejis, Ostiae.

Etiam ille coetus litteris capitalibus T. E. U. designatus (*Teatro Español Universitario*) statis temporibus veterum scriptorum ludos scaenicos agit. Haud multos abhinc menses Hypolytum, Medeam, Oedipum Regem induxit. Qui olim Oedipum Regem —Matriti in Conventu Hispanico Studiis Classicis— in scaenam prodeuntem vidimus, scimus qua venustate, lepore, elegantia T. E. U. fabulas agat.

Inventa Archaeologica. — Subinde in Italia vetera reperiuntur monumenta quibus in dies in meliorem penitioremque cognitionem rerum Institutionumque Romanarum pervenimus. Ita —ne plura afferamus quae amplius in commentariis quibus est index *Studi Romani* V (1957) 445, sq. explicata invenies— Susae effoditur amphitheatrum cuius tres scamnorum series nuper in lucem evenerunt.

Ad «Gravellona Toce» (*Novara*) effosum est sepulcretum ubi per X

fere saecula (a IV a. Ch. n. ad V p. Ch. n.) plura corpora condita sunt. Inter alia patuit parva pugilis statua, quae artem vernaculam prodit ac manifestat. Augustae Praetoriae (*Acsta*) inventa est *insula* quaedam cum aliquot aedibus, saeculo II p. ch. n. adscribenda. Augustae Bagiennorum (*Benevagienna*) effoditur theatrum, quod ut videtur, tria saltem milia spectatorum capiebat. In Urbe Vaticana etiam sepulcreti effossiones fieri accepimus, maximi momenti non solum ut cognoscamus quo modo corpora in Urbe sepeliri consueverint, sed etiam topographiam agri Vaticani; qua cognita luce clariore perfundetur vexata quaestio de sepulcro Sti. Petri Apostoli. In hac necropoli multa corpora extremo saeculo I sepulta inveniuntur, sed pars etiam aetati Neronianae est attribuenda.

Pompejis viri eruditi effossiones novae necropoleos prosequentes effoderunt sepulcrum nobilis illius Eumachiae. Ad portam quandam inventa sunt corpora trium civium qui morte erepti sunt dum vitam in fuga quaerebant. Haec cum hodie videmus, animus movetur, doletque totus sortem eorum qui quondam vivebant vitamque agebant, sed casu repentino ac tristissimo, una cum civitate et urbe infortunatissima, aliquot horis mortem oppetiere. Quod quam taetrum horridumque fuerit his diebus magis magisque nobis mente capere licet, qui hos casus —quam repentini quamque lugendi— et in Italia et in Hispania et alibi, elementis effrenatis, repetitos sentimus.

Nuper ad Sardiniam insulam, quam plurimae amphorae testaceae Romanae, in aquis mersae, inventae sunt. Viri eruditi adducuntur ut credant navem quandam onerariam, amphoris onustam, quae naufragium fecisset, ibi mersam adhuc subjacere. Quae si quando emergerit, maximi momenti inventio facta erit; nam Calligulae naves, a. 1929 in lacu Nemi collectae, extremo bello misere periire.

In ea parte Siciliae quae ad meridiem vergit, etiam mari immersa, inventa est urbs quam Anthusam illam veterrimam esse credas; quae urbs ab antiquis memorata, aliquot abhinc saeculis obruta est oblivione. Invenit Raimundus BUCHER, qui cum moenia grandia longissimaque vidit, tum humanum signum immane, capite truncato repperit.

Sunt qui dicant —et ita a diurnariis propagatum est— ad Sperlongam, quod oppidum medium tenet iter inter Romam et Neapolim, in ea spelunca quae Tiberii nuncupatur, inventum esse exemplar ipsissimi illius signi Laocoonta cum filiis exprimentis. Quae tamen mirifica res a vero deficere videtur; nam —ita alii viri eruditi scripsere— simulacrum prodit Ulixem cum sodalibus contra Scyllam pugnantem. Si plura his de rebus cognoscere volueris lege, sis, apud A. BALIL in illa commentatione: *Recientes trabajos y descubrimientos arqueológicos en Italia* (*Estudios Clásticos*, IV (1958) 302 sq.).

Studia Classica Per Orbem. — Maximi momenti aestimamus documentum ab I. Cardinali PIZZARDO, Sacrae Congregationi de Seminariis et studiorum Universitatibus Praefecto evulgatum. In quo maximo auctoritatis pondere totis viribus usum et studium linguae Latinae in Seminariis ecclesiasticis enixe commendat strictiusque imponit. Sed de eo proximo fasciculo proprie agemus. Simul etiam «Summorum Pontificum tum de humanioribus litteris cum praesertim de lingua Latina documenta praecipua» proferuntur, ab Ipsa Sacra Congregatione evulgata. Quae etiam *Il Latino, lingua viva nella Chiesa* edendum imperavit; in hoc opusculo commentationes quaedam colliguntur ab A. Bacci, J. Gibbons, S. R. E. olim Cardinali, P. Thomas, O. S. B., F. Arnaldi, Professore, exaratae, in quibus eminet, meo quidem iudicio, «votum» quod Sacra Congregatione rogante, emisit Rmus. P. Włodimirus Ledóchowski, Universae Societati Jesu Praepositus. Haec omnia documenta maxime ponderanda sunt ab illis praesertim qui curam studiorum humaniorum ordinandorum habent commissam.

—Statis temporibus consilium litteris capitalibus C. O. D. (*Centro de Orientación Didáctica*) designatum promovet «curriculos» de ratione et via linguae Latinae et Graecae tradendae aptiore, quibus magistri — quos penes linguarum veterum studium aut odium apud alumnos positum est — aptius praeparentur, ut quam optime quamque facillime has tanti momenti disciplinas alumnos doceant. Hi curriculi habiti sunt Matriti die 17 ad 22 m. februario pro lingua Latina, moderantibus Doctore Magariños, Ramiro, Hernández Vista, mense vero aprili die 7 ad 12, Caesaraugustae, pro lingua Graeca, Dre. Fernández Galiano moderante, habiti sunt.

—In annuo conventu «Foederationis amicorum pueris instituendis» (F. A. E. = *Federación de Amigos de la Enseñanza*) agitata est m. decembri quaestio de linguis classicis in schola media, et de ratione linguae Latinae tradendae. Ut videtur, qui rem pertractarunt aliquantulum (ne dicam nimium) impetum in has disciplinas fecerunt. Fuerunt tamen strenuissimi viri qui illas ab impugnantibus valide defenderent.

—Est quod plausum Dri. HERNÁNDEZ VISTA imo pectore tribuamus, qui fortissimus validissimusque defensor sit et custos totius humani cultus. Nemo qui commentationes ejus et scripta legerit, auctorem non laudabit, ejusque dicendi facultatem ac venustatem probabit. Est quod gratiam claro huic viro habeamus maximam et quod studia litterarum defendit et quod venuste defendit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

VALORI, FRANCESCO. — *Trenta seculi di invenzioni*. Dalla scienza antica alla bomba atomica. Società Editrice Internazionale. Torino, 1957.

En habes pulcherrimum librum culturae certe universalis, alumnis disciplinarum naturalium maxime idoneus. Ars typographica in eo absoluta et perfecta: conscriptus, si quid mei est iudicii, ad curiositatem patrum, filiorum, scholasticorum explendam. Neque vero sapientibus neque viris technicis dicatur hoc lepidum opus a clarissimo viro F. Valori conscriptum: loquendi tamen ratio semper perspicua, immo et legentium animis pergrata.

Septem capitibus notionem generalem rei propositae praebet conscriptor. I. Veterum scientia: Aegyptus, Babiloni, Phoenices, Hebraei, Creta; initium scientiae Graecae, Thales, Pithagoras (pp. 1-9) II. Atomistae eorumque successores; Aristoteles, Archimedes, geometrae et hydraulici scholae Alexandrinae, astronomi scholae Alexandrinae, temporis mensura, meteorologia, finis scholae Alexandrinae, scientia Etruscorum, scientia Romanorum (pp. 11-34).

III. Medium aevum: alchimia, astronomi et mathematici Arabes, horologia et campanae, lentes, ignis Graecus, parva et utilia inventa medi aevi (pp. 35-47). IV. Magna inventa initii recentis aetatis: acus nautica, pulvis igneus, prelum, Leonardus de Vinci et initium methodi experimentalis, magna inventa Galilaei, pendulum, telescopium, microscopium; thermometrum et barometrum.

V. Tres illae inventiones quae faciem terrae innovaverunt: machina vaporaria, machina electrica, motorium reactionis (pp. 89-189). VI. Victoria in aere: dirigibile navigium, aeroplanum, helicopterum, radium, televisio, fibrae textiles novae: «rayon» et «nylon» (pp. 190-221). VII. Tria praeclarissima inventa dierum nostrorum: «radar», apparatus reactionis, bomba atomica (pp. 222-290).

Et non nullae consequuntur pagellae quibus praecipuorum sapientium cum antiquae tum recentis aetatis pulchrae praebentur photographiae. Liber, inquam qui quasi uno perlegitur tractu mentique prorsus inhaeret.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

COROMINAS, JUAN. — *Diccionario Crítico Etimológico de la Lengua Castellana*. Cuatro tomos, Editorial Gredos. Madrid, 1957.

In lucem tandem editum est magnum illud «Diccionario Crítico Etimológico linguae Hispanicae», a praeclarissimo viro Johanne Corominas, de humanioribus litteris bene merito, scite bonoque omine exaratum; quod omnium certe sapientium plausibus honorabitur, atque magni in philologiae et linguisticae provincia, neque immerito, ducetur. Opus enim hujusmodi maxime, in bibliographia Hispanica, desiderabatur, quippe cum superiora vel absoluta vel incompleta prorsus, euntibus diebus, devenissent. Haud incassum et tempora praetereunt et humani intellectus molimina!

Cum doctrinarum ibi excellentia momentoque, tum materiae copia rite collecta, atque ingenio et studio, quorum quidem ope res stabilitur, hoc opere linguam Hispanicam inter praecipuas romanicas in posterum collocatam esse dicas.

Jam vero quattuor volumina Diccionario in quarta forma majore solide complent; in unoquoque vero mille circiter paginae in sunt. Haec vero erudita volumina ornantur copiosa, eaque selecta, de re bibliographia una cum indicibus vocum exterarum et classicarum.

Multae adsunt voces sub quibus a magistro vel corriguntur vel complentur non nulla nobilium scriptorum opera. Toto autem opere plus quam 60.000 vocabula — Hispanica dumtaxat et dialecticalia considerantur — a claro scriptore Johanne Corominas sedulo recensentur.

tur; haec autem 60.000 vocabula fere ad 12.000 «articulos» rediguntur, in quibus, praeter vocem principem, appendicis instar derivatae, compositae, affines voces perpenduntur. Inquisitio vero vocabulorum quae sub appendicibus includuntur, multiplex est; immo in universum origo chronologica adhibetur; multotiens scita, atque ea copiosa, exempla commodantur, non raro brevis includitur eorundem historia.

Hujus sane dictionarii nomenclatura ea fere omnia complectitur verba, quae in Academiae Dictionario colliguntur, una cum aliis vocibus archaïcis, Americanis, dialectalibus, recentioribus. Nulla certe in bibliotheca virorum qui litteras colunt opus hoc deesse poterit.

Quodque tanto operi res bene vertat!

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PECKETT, M. A. - MUNDAY. — *The Standard two year Latin Course for the oral method: I Principia (a beginners' latin course), II Pseudolus noster (completing the two-year course)* - Printed and published by Willing and Son, Limited - Shrewsbury (Castle Street, 33).

Novum opus magnique momenti lectoribus commendamus, quod cum mira ratione utile misceat dulci, omne quidem feret punctum. Primas in eo ferunt exercitationes variae linguae Latinae, ut olim apud sollertiores magistros maxime in communi usu fuerant, quae nunc sancta ac nova quadam via et ratione instaurandae videntur ita ut alumni penitentiorem linguae Latinae usum et doctrinam adipiscantur. Quae quidem ratio, quamvis a nonnullis inconsulto impugnetur, mirificos tamen adfert fructus, praesertim cum in primis institutionis curriculis adhibetur. Atque revera non tantum unus aut alter rerum ignarus magister hanc novam rationem propugnat eaque utitur, sed plures jam et in disjectis dispersisque orbis terrarum ditionibus usu sunt experti, rubore correpti et dolore simul naufragii et ruinae eorum qui usu posthabito, linguae Latinae institutionem quaerunt fere tantum doctrina, cum revera usus sit cum stilo maximum linguarum incitamentum atque stimulus.

Jam vero fautores hujus novi operis id maxime curarunt ut pueri lingua Latina festive et quasi per jocum instituerentur exercitiis vividis et jucundis imagunculis adumbratis. In primo fasciculo, cui index est «*Principia*», exercitiorum ad declinationes et conjugationes pertinentium magnam invenies copiam, quibus paulatim et quasi per gradus pueri hujus tam praecipui in re grammatica negotii disciplinam penitus teneant. «*Pseudolus noster*» — hoc est enim alterius fasciculi nomen — ita digestus est ut jugi et vario exercitio adulescentes sensim sine sensu latine loqui et scribere addiscant auctoresque nobilissimos — Caesarem, Ciceronem, Vergilium, Horatium — legere et interpretari firmo pede incipiant.

Cui novo operi magistrorum gratiam prosperumque fortunae flatum studiose ominamur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

HOFFMANN HENRICUS. — *Petrus Hirrutus* in sermonem Latinum translatus ab Eduardo BORNEMANN, in aedibus Rütten et Löning bibliopolarum, Francofurti a. M. 1936. DM 5'80.

Recens Francofurti ad Moenum in Germania fasciculus Henrici Hoffmanni, cui index est «*Petrus Hirrutus*» (Germanice *Der Struwwelpeter*) in sermonem Latinum translatus ab Eduardo Bornemanno, prodit in aedibus Rütten et Löning bibliopolarum, qui jam prius Hoffmanni librum lingua Germanica edendum curaverant. Agitur in eo de lepidis et jucundis facetiis pulchris picturis ab ipso Henrico Hoffmanno medicinae doctore illustratis. Facetiae sunt variae: 1. De Petru'lo, puero hirruto. — 2. De Friderico malefico fabula. — 3. De flammiferis fabula tristissima. — 4. De pueris atratis fabula. — 5. De venatore saevo fabula. — 6. De Conrado pollicisuga fabula. — 7. De Caspero, puero jusculispernaci, fabula. — 8. De Philippo, puero oscillaci, fabula. — 9. De Johanne aërispice fabula. — 10. De Roberto volante fabula».

Neque vero desunt narrationes et hujusmodi fabulae, quibus linguae Latinae institutio vividior fiat et pueris jucundior. Nunc meminimus Guillelmi BUCH, *Max et Moritz facinora puerilia* (a. 1932, Menachii, apud Braun et

Schneiler bibliopolas); AVENARIJ, *De erratione Georgii Pelleterii* (in PALAESTRA LATINA, fasc. 41 et ss.); JOVEI, *Corocotta rex latronum* (in PALAESTRA LATINA, fasc. 61 et ss.); TESCARI, *De Pipetta homine mendaci* (in «Latinitate», 1953, pp. 112-116); MAFFACINI, *De mira vita Pinoculi*; LUDOVICI MARCI, *Mirifica portenta de venatore Tito et cane Melampo* (in PALAESTRA LATINA, fasc. 53 et ss.); ATHANASII SINUÉS, *Cucullina rubea et Pollicarius* (Barcínone apud auctorem, *Pje. de la Concepción*, 4); H. HENRICI PAOLI, *Musa jocante* (Le Monnier edidit Florentiae, a. 1929); OTTONIS SCHMIED, *In veste Latina* (Wien, 1937); JOHANNIS WEIS, *Jocosa* (R. Oldenbourg Verlag, München / Düsseldorf, 1952); ID. *Curiosa* (*Ibidem*); ID. *B'illa Bulla*, *Facetiae verborum Latinorum illustratae* (Ferdinand Dümmler Verlag, Bonn); necnon lepidae, curiosae, jucundae narrationes et facetiae et fabulae quae in commentariis qui inscribuntur «*Acta Diurna*», PALAESTRA LATINA, «*Latinitas*», «*Juventus*», «*Societas Latina*», «*Alma Roma*» prodeunt vel prodierunt.

Haec narrationum et fabellarum genera, praesertim cum pulchris adumbrantur imaginibus, pueris grata sunt et valde utilia ad amorem et studium in linguam Latinam suscitandum et alendum. Hunc igitur Henrici Hoffmanni librum non possum non laudare eumque collegis et linguae Latinae magistris commendatum magnopere cupio. Optimam partem obtinebit auctor si opus in altera editione magis castigatum rectiusque ad Latinitatem aptatum curaverit.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

J. DE VALLATA. — *Poliodoros*, comedia humanística desconocida. Introducción, estudio, transcripción y notas por José M.^a CASAS HOMS. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto «Nicolás Antonio». Madrid.

«Poliodoros» ex praecipuis personis est hujus comoediae, lingua Latina exaratae; cujus auctor est Joannes de Vallata, quod tamen fictum seu mutuatum nomen videtur esse sub quo nobilis illius Joannis Pontani nomen fortasse latet. Ita censet Professor linguae Latinae in Instituto Barcínonensi «Menéndez

Pelayo», Josephus M.^a Casas, qui hoc bellum opus in vulgus edidit; quod quidem maxime aestimabunt Latinarum litterarum studiosi, cum adhuc in tenebris jacuisset omnibusque esset ignotum.

Textus hujus lucubrationis Latinae tertiam voluminis partem complectitur (pp. 171-245) Post nomina 14 personarum dramatis, sic incipit textus: «Joannes de Vallata annorum XVIII comediam (*sic*) sequentem confecit». «Petisti a me, Thoma suavissime, ut tibi commediam (*sic*) conficerem. Laborem ego non respui. et tibi morigerandum putavi, a quo omnia iure merito commertus sis, hanc tibi absolutam trado, quam ego commediam non appello, sed inepciam quandam».

In prooemio clarus Doctor Josephus M. Casas de proposito in hoc libro diserte verba facit (pp. 5-11). Et totum librum in tres partes dividit: Ante notanda (pp. 13-54); Poliodorus (pp. 55-170). Textus (pp. 171-245). Tres consequuntur appendices: comoediae, quae a renovatis litteris dicuntur (pp. 249-252); comoediae medii aevi (pp. 253-256); fragmenta Philogentiae, ab Ugolino Pisani confectae (pp. 257-260). Index rerum et index generalis librum scite absolvunt (pp. 263-272).

Prima libri hujus pars magni quidem momenti est habenda in cognoscenda historia dramatis Latini apud veteres, medio aevo, tempore quo prodit «Humanismus» litterarius; ibi etiam annumerantur praecipue comoediae, quarum certe compendium et gratum et studio dignum proponitur. Transcriptio historica prorsus est e codicibus desumpta, quae viris eruditis et philologis erit jucunda.

A. MARQUÉS, C. M. F.

LEANDRO DE SAN JOSÉ. — *Gramática hispano-latina comparada*. Sucesores de Rivadeneyra, S. A. Paseo Onésimo Redondo, 26. Madrid

Grammatica haec Hispanica-Latina comparata Seminarii prae primis et Collegiis ecclesiasticis nationum Hispanicarum Americanarum dicatur, quae lingua utuntur Hispanica. Quasi triplex opus appellarem, quod doctus Latinitatis professor P. Leander a

Sancto Josepho in tres cursus via ac ratione distribuit.

Cursus primus analogiam et morphologiam complectitur (pp. 13-221); alter cursus syntaxim (pp. 223-485); tertius vero orthologiam (pp. 487-655). Libri quidem moles aliquantum difficilioris usus hanc grammaticam alumnis reddat: de ratione autem exponendi explicandique grammaticas regulas, cum in lingua Latina tum in Hispanica, nihil hic subtiliter dicere valeo. Qui methodum philosophicam-grammaticam a praeclaro viro ROBLES DÉGANO excultam habeant, illi facile rem penitus percipient et, nisi multum fallor, libri altam ac profundam doctrinam sapient.

In operis praefatione clarus auctor (pp. 5-12) non nulla de ratione atque via in grammatica elaboranda perstringit. Methodum hanc philosophicam in erudiendis pueris optimam censet, quamquam haud pauci auctores impeditissimam habent. Fortasse hic illud: Perverbia hominum studia et sententiae. Processus comparationis linguae Latinae cum Hispanica, etsi protrahat studium, nobis placet ducemusque discipulis commodiorem. De nomenclatura in usu hujus grammaticae alii alia — neque immerito — dicunt. Magistri Latinitatis aestimationem potius facient quam alumni. Liber autem magni momenti maximique ingenii est. De systemate autem paedagogico disserant sapientes et qui «critici litterarii» dicuntur. Nos lectoribus «Palaestrae Latinae» ultro hunc librum editum esse nuntiamus, more quidem nostro, auctorique imo corde plausum impertimus.

P. PHILOPONUS, C. M. F.

PAVANO GIOVANNI. — *Linguistica Sistemática*. Dizionario Tematico latino dei verbi e delle forme di terza declinazione. Editrice Le Stelle-Milano. Via Abbadesse, 54; 1957.

Ad finem hunc tendit lepidum hoc Dictionarium thematicum Latinum, ut Latinitatis discipulo tanquam ansam, in inquirendo statim casu nominativo nominum et adjectivorum tertiae declinationis, praebeat eumque negotio fere nullo adjuvet in reducenda qualicumque forma verbi ad indicativum praesens.

Dictionarium vero thematicum tres complectitur tabulas: 1. Tabula thematica nominum et adjectivorum tertiae declinationis (pp. 15-65). 2. Tabula thematum perfecti indicativi (pp. 67-108). 3. Tabula thematum supini (pp. 109-118). In introductione (pp. 9-14), perspicue agit clarissimus professor J. Pavano de uniuscujusque tabularum usu; paucis autem in praefatione (pp. 5-8) de objecto et scopo libelli se absolvit.

Hic admodum commodus liber alumnis litterarum Latinarum; ars ibi typographica domus editricis «Le Stelle» absoluta. Nostra quidem sententia, opus melius perquam redderetur, si litterarum ordine saltem verba irregularia linguae Latinae adderentur. Nihil secius illud Commentarii nostri lectoribus vel maxime commendandum censuimus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PASTORINO AGOSTINO. — *Tropaeum Liberi*. Saggio sul Lycurgus di Nevio e sui motivi dionisiaci nella tragedia arcaica. Istituto di Filologia Classica, 1957. Università di Genova. Facoltà di Lettere.

Inscriptio illa percelebris tragoediae Actianae «Tropaeum Liberi», et huic scitae lucubrationi de modis dionysiis in tragoedia Romana pristina est inscripti ni. Magni certe momenti hic liber in hujusmodi rei explicatione, adhuc notitiae apud litterarum Latinarum scriptores valde incertae. Post ponderosam eamque non ignobilem praefationem (pp. 7-15), clarus vir A. Pastorino suum explicat opus, quinque in capita divisum, I. De re Lycurgea apud Aeschylum (pp. 17-33). II. Lycurgus Naevianus (pp. 35-59). III. De praesenti rei statu circa Lycurgum Naevianum deque consecratis veri similibus de vitae eventis poetae Naevii (pp. 61-86). V. Dionysius in theatro tragico Enni, Pacuvii, Actii (pp. 111-131). Denique in operis fine (pp. 133-136) lepidam synthesim de re textit Professor A. Pastorino. In totius libri cursu criticae notae exstant et abundantes et acuminis indicio praeditae Alio nomine «Stasiastae» et cognita apud auctores est tragoedia Actiana, de qua in hoc volumine recensito.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

J. FRAPPIER. — *Chrétien de Troyes*. Un volume, 11 x 16'5, 256 p. 540 Fr. Librairie A. Hattier, 8, Rue d'Assas, Paris.

Volumen hoc quinquagesimum numero est in nobilitate illorum. Corpore Gallico «*Connaissance des Lettres*». Christianus de Troyes clarus est atque praecipuus inter auctores litterarum Gallicarum, et plurima quidem de eo, ante hos centum annos a scriptoribus in lucem data sunt.

At ejus tamen bibliographiae lacunae, et fontes seu origo numeris litterarum ac poetici haud paucas quaestiones, quibus nulla adhuc adscripta est responsio, secum ferunt. Ut ipse clarissimus hujus operis scriptor confitetur, res veluti synthesis praevia habenda. Ibi autem ipse facile cernas, quis fuerit Christianus de Troyes, ut poeta et cultor artis, indolis personaeque descriptor, «*aretalogus*», moralis scientiae in praecellenti cultura scriptor.

Sic vero libri, post breviusculam praefationem (pp. 5-6), tenor: «*I. L'époque et l'oeuvre* (pp. 8-65); *II. Philomena. Deux chansons d'amour* (pp. 66-84); *III. Erec et Enide* (pp. 86-105); *IV. Cligès* (pp. 106-123); *V. Le Chevalier de la charrette ou Lancelot* (pp. 124-146); *VI. Le Chevalier au lion ou Yvain* (pp. 147-169); *VII. Le Conte du graal ou Perceval* (pp. 170-209); *VIII. Originalité et influence* (pp. 210-242)». — Luculenta bibliographica nota (pp. 243-256) totum perficitur opus a claro Professore Sorbonnensi J. Frappier eruditissime exaratum.

P. PHILOPONUS, C. M. F.

R. BOSSUAT. — *Roman de Renard*. Librairie A. Hattier. Un volume, 11 x 16'5, 192 p., 450 Fr. Rue d'Assas, Paris 1957.

Commodum certe aequumque est hoc *Poëma de Renard*, ea inter opera, quae prostant in Collectione «*Connaissance des Lettres*», connumerari. Etenim in omni Gallico litterario aevi medio opere, nullum paene scriptum amplius viro studioso jucundum, neque melius quod temporibus adjunctisque quibus natus fuerit, exprimat.

Exemplaribus quidem Latinae linguae eductae, lepidae hae narratunculae, sub

earumdem Gallica forma et specimine, amplum sibi extemplo lectorum examen, in quibus omnia facile societatis genera commiscuntur, adscivere. In iisdem scilicet, facundia Gallorum ingeniumque criticum saeculo duodecimo luculenter ostenditur.

At vero versione totius libri deficiente, nostrorum dierum lectores haud sibi aequam, eamque omnino accuratam, speciem de natura hujusmodi *Poëmatum de Renard* confixerunt. Juges de eodem disputationes et quaestiones minime transtulerunt adhuc virorum eruditorum provinciam, atque non nullae dumtaxat summae seu compendia sunt in anthologias litterarias introducta, aut ad usum discipulorum devenere.

Ex quo neutquam inutile ea in brevem synthesis colligere atque referre quae hodierna scientia et ars critica de re comperit. Ea autem videsis in hoc opere, a claro Professore R. Bossuat exarato, cujus quidem index: «*I. La tradition manuscrite* (pp. 5-10); *II. Les branches de «Renard»* (pp. 11-60); *III. Précurseurs du Roman de Renard* (pp. 61-67); *IV. Origines et Sources* (pp. 69-88); *V. La peinture des personnages* (pp. 89-107); *VI. La parodie et la satire* (pp. 109-119); *VII. L'art et le style* (pp. 121-138); *VIII. La survivance de Renard* (pp. 139-167)». — Scite absolvitur opus conclusione, notis bibliographicis, tabula chronologica (pp. 169-187).

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GARCIA-BORRÓN MORAL, JUAN C. — *Seneca y los Estoicos*. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Instituto «*Luis Vives*» de Filosofía. Delegación de Barcelona. Estudios, núm. 6. 1956.

De solida opera et adjumento agitur ad studium philosophi Senecae, ab inclito professore philosophiae J. C. Moral. Ante oculos ipse habuit in libro conficiendo prae primis editiones Teubnerianae: *L. A. Senecae opera quae supersunt* (Tragoediae, 1902; Dialogorum libri XII, 1905; *Naturalium quaestionum libri VIII*, 1907; *De Beneficiis libri VII et De Clementia libri II*, 1904; supplementum. De morte Claudii, cet.).

Delegationi Institutii «Luis Vives» de Philosophia praefectus, clarus vir Joachim Carreras Artau, opus exhibet atque de conspicuo auctoris persona non nulla verba texit (pp. 7-9). In introductione diserte loquitur scriptor de ea voce «senecismo», qui medio abhinc saeculo magni usus est in litteris Hispanicis (pp. 11-22).

In duas vero partes liber dividitur, nempe: I. Seneca ante corpus Doctrinae stoicae. II. Ethica stoica et Ethica «senecista». Tria capita primam partem circumscribunt: 1. Seneca et stoicismus (pp. 25-31); 2. Logica stoica et Seneca (pp. 32-35); 3. Physica, Metaphysica, Theodicea stoica (pp. 36-58).

Et tria sunt alteri parti capita: 1. «Intellectualismus» et «ethicismus» (pp. 61-97); 2. De sensu «Totius» et dignitate hominis (pp. 98-136); 3. De ratione qua Seneca conceperit vitam moralem (pp. 137-220). Conclusiones praecipuae totius operis (pp. 221-240) acute a claro scriptore colliguntur, quae quidem faciliorem totam doctrinam ante legentis oculos reddunt. Index bibliographicus de re optimus et absolutus lucubrationem scientificam absolvit et complet.

A. MARQUÉS, C. M. F.

S. MONTSERRAT. — *Interpretación histórica del Quijote y otros ensayos*. Facultad de Filosofía y Humanidades. Universidad Nacional de Córdoba, Argentina, 1956.

In hoc libro tres lucubrationes prostant de historica interpretatione illius celeberrimi operis, litterarum Hispanicarum principis, cui inscriptio: «*El Ingenioso Hidalgo Don Quijote de la Mancha*». Historia tamquam fundamento innixus, scriptor analysim texit de implexa structura civitatis cultusque illius temporis vere aurei litterarum Hispanicarum.

Hi autem tituli harum lucubrationum: «*Don Quijote en la encrucijada o Sancho Panza el burgués*» (pp. 13-44); «*El Quijote, Conciencia de España: Locura y Desengaño de una Misión Histórica*» (pp. 55-76); «*El choque dialéctico entre dos formas de vida y su expresión en el Quijote: el Renacimiento español*» (pp. 74-114).

Ceteris autem Hispanicis scriptis litterarum hi tituli: «*Arte y temporalidad*» (pp. 115-

127); «*Arte y Tradición*» (pp. 129-142) «*Sentido y fin de la biografía*» (pp. 143-154); «*Síntomas de la nueva poesía*» (pp. 157-168); «*Notas para una estética del cine*» (pp. 169-179); «*Franz Kafka y el oscuro presente*» (pp. 183-189).

Paucis liber est de «aesthetica litteraria», cum fundamento in historia litterarum Hispanicarum, qui uno quasi tractu perlegitur.

J. A. NUÑEZ. — *Leopoldo Lugones*. Facultad de Filosofía y Humanidades. Universidad Nacional de Córdoba. Argentina.

Breviuscula haec lucubratio, quae 43 pagellas complectitur, de scriptore et humanista Leopoldo Lugones lecta primo fuit in Collegio Nationali Montisserrati atque edita postea in Commentario Facultatis Juris, anno II, num. 2 et 3. Nunc denuo a Facultate Philosophiae et Humanitatum Cordubensi in vulgus editur in usum suorum alumnorum. Ibi recolitur, ad collationis modum atque rationem, litterarium opus clarissimi viri Leopoldi Lugones in urbe Corduba, primis annis ejusdem litterariae initiationis.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ZIEGLER, KONRAT — *Plutarchos von Chaironeia*. Alfred Druckenmüller Verlag in Stuttgart-Waldsee, 1949, pp. 323.

Plutarchus scripsit opera moralia et historica, quibus sibi gloriam immortalem comparavit. Ejus *Vitae parallelae* pertinent ad historiam Graecorum et Romanorum, quas in corpore illo Teubneriano evulgavit clarus vir K. ZIEGLER, hujus operis scriptor, quasque in Germanicum sermonem convertit et in editione Helvetica *Artemis* prodidit. Plutarchus aita quoque scripta composuit, Moralia, de rebus ad philosophiam, litteras, poetas, grammaticam pertinentibus.

At K. ZIEGLER non modo in his operibus Plutarchianis est perpendendus, sed prae primis in his quae illa PAULY WISSOWA: *Realencyclopädie* continentur, ubi summa diligentia et doctrina de omnibus quaestionibus, quae ad Plutarchi vitam, animum, mores, opera spectant, agit et fundamenta jactat ad quamlibet disputationem scientificam de Plutarcho. Itaque qui de Plutarcho aliquid cognoscere vel

scribere vel loqui in posterum animum induxerit, illud Zieglerianum scriptum imprimis adeat oportet. Alii antea de Plutarcho scripserant eleganter et accurate, ut Hirzel (1912). Nunc vero K. ZIEGLER studioso labore, nova ratione et ad philologiam aptata, omnia collegit quae ad Plutarchum spectant.

F. CASTAGNOLI. — *Foro Romano*. Fotografie di Paolo Di Paolo. Editoriale Domus, Milano, 1957.

Hujus libri lectione animum meum vehementer commotum esse profiteor, cum tot ruinarum magnarumque rerum vestigia sum contemplatus. Nam id efficitur hujus libri lectione, ut legens credas te tuis ipsis oculis videre illa monumenta Romanorum nobilissima quae quondam Forum fuerunt Romanum, cujus vestigia tantum et umbrae ad nos usque pervenerunt. Hic collectas invenias photographias optimas pulcherrimasque a Paulo Di Paolo ope lucis expressas. Qui vero illas uni veluti formae reddidit, fuit Ferdinandus CASTAGNOLI, qui scita introductione et notulis omnes et singulas illustravit tabulas et uniuscujusque monumenti historiam et adjuncta breviter subjunxit. In summa, 65 photographiae hoc libro continentur optima charta et macrocollo adhibitis, quo picturas maxima perspicuitate licet contemplari.

Hic liber illi qui Forum Romanum viderit, memoriae erit per jucundae, qui vero non lustraverit, maximam delectationem percepturum spero. Gratulari volo Officinae Librariae «Domus» quae praeter hunc bellissimum, alios etiam hujusmodi libros edendos curavit, quibus tota Italia antiqua illustratur et penitus cognoscitur.

JACOBUS SIDERA. C. M. F.

E. DECAHORS. — *Dictionnaire Français-Latin*. 12 edit. A. Hatier, 8 Rue d'Assas, Paris, VI, 1957; pag. 864.

Si opus saepe editum se ipsum commendare videtur, haud parum commendandum hoc dictionarium erit, quod duodecies in lucem editur. Liber est sane hujusmodi librorum specimen et forma, et apta verborum selectione et copia, et vocum sensuum perspi-

cua dispositione. Scriptus est Latinitatis alumnis qui quidem paucioribus in loquendo et scribendo utuntur verbis ut propria seu potius aliena cogitata expriment. Nam quae ipsis latine exprimenda plerumque proponuntur omnia fere praeterita esse videntur et ab hac aetate prorsus aliena. Quare in hoc dictionario non invenies illam verborum copiam quibus usus puer de aëronavibus loqui et scribere possit et de traminibus et de pediludio et de bombardis atomicis deque ceteris quibus hodie hominum mentes agitantur vexanturque, et puerorum animi magis moventur et incitantur. Quod tamen neque Auctor facere in dictionario parando voluit. Sed utinam id facere aliquando velit idque assequi possit, quo Latinitas vigens alumnis facillior et jucundior et utilior reddatur. Nam et Auctor et Officina Libraria Hatier ad haec opera perficienda parati sunt quam qui maxime. Quod quidem et pueris et magistris omnino probandum speramus.

GRIECHISCHE GRAMMATIK. I. Teil: — *Laut- und Formenlehre* von HANS ZINSMEISTER. pg. 250. II Teil: *Satzlehre* von Dr. HANS LINDEMANN. *Dialektgrammatik und Metrik* von HANS FAERBER, pg. 172. Bayerischer Schulbuch-Verlag. MUNCHEN, 1954, 1957.

Quid linguam vel discimus vel docemus nisi ut ea vel loqui si adhuc vigeat, vel si non vigeat, facile jucundeque legere queamus? Quare grammatica Graeca ad omnes quaestiones respondere debet quae in scriptoribus quibuscumque Graecis legendis, sive Homerus est sive Hesiodus, Xenophon, Tragicus sive quis alius, enascuntur. Immo talis sit oportet quae non modo nodos facile diducere doceat, verum etiam totam linguae explicationem seu evolutionem, quod ejus fieri possit, exponat. Talem grammaticam, quae utroque fine contineretur, scribere voluerunt Auctores, quae etiam nova esset rerum saltem expositione et ordine. Neque librum novum solis scholae mediae alumnis scribere voluerunt, sed etiam superiorum scholarum alumnis, qui philologiam profitentur. Quare neque mirum si totam materiam duobus voluminibus continendam coacervaverint. Hac etiam de causa, certas normas seu leges, a magistris

alumnisque necessario ante oculos habendas Auctores statuerunt ad rectum usum Grammaticae ut ex ea optimi fructus percipi possent.

Prius volumen — a Johanne ZINSMEISTER compositum et in quinque partes divisum — morphologiam totam habet, quae absoluta est et lucido ordine disposita. Accurate in eo discernuntur quae tradenda sunt inferiorum scholarum alumnis quaeque superiorum. Hanc formam verbalem tantum ex multis quae expetivi et inventi, nullibi explicatam me vidisse fateor συνδοῖτο et προδοῖτο a Xenophonte in *Anabasi* 1, 9, 7. 10 usitatam, quibus non semel discipulos conturbatos videas, qui quae rentes nihil inventiant nisi θεῖτο, εῖτο, in paradigmatis seu specimenibus propositum.

Syntaxin exaravit Dr. Johannes LINDEMANN, qui opus mira perspicuitate clarum et simplicitate et ordine praestans perfectit. Priore voluminis parte propositionum elementa separatim proponit, altera propositiones singulas et in seipsis et prout inter se conjunguntur et copulantur. In parte quam appendiculam dicas Dr. J. FAERBER de dialectis non Atticis agit, quo facillor reddatur lectio eorum scriptorum qui sermone non Attico in scribendo usi sunt. Deinde de aliis rebus utilibus verba breviter facit, quae etiam scriptoribus legendis inservire poterunt.

Dr. Joh. FAERBER, qui Corpori scholari edendo cui est titulus: *Griechisches Unterrichtswerk* praeest et moderatur, rem quoque metricam apte et concinne et breviter pertractat.

Ut patet Grammaticam optimam lectoribus commendamus et ordine et materia et rerum copia conspicua.

A LAGIER. — *Memento grammatical et orthographique*. Collection Poucet. A. Hatier éditeur. Paris, pg. 648 minutissimae.

En libellulum nam mole minimus est et altquanto pollice major — qui 648 paginis capit praeter dictionariolum orthographicum, de re grammatica notiones praecipuas, indicem verborum irregularium, quandam de verbis formandis notitiam, homonyma verba, denique sententias ad exteris linguis pertinentes, quae apud Gallos usu venerunt. Ut patet

libellus utilis commodusque; «memento» tamen hujus consilii mei: cave eum in crumena amittas.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

PAOLI, UGO ENRICO. — *Apis Matina*. Libro di letture latine per la Scuola Media. Sansoni. Via Faenza, 71, Firenze, 1957.

Illa poetae Horatii lepida vox «*Apis Matinae* more modoque» (c. IV, 2, vv. 27 sq.), huic operi nomen, neque sane immerito, contulit. Opus id opportunum, in quo Latina lingua quasi jocose alumnis addiscenda proponitur.

Innumerae fere tabulae pictae, eaeque lepidissimae, a claro viro P. Bernardini delineatae, librum vel prima facie pueris commendabunt: ex quo et res ipsa commodius dum legunt, eorum mentibus inhaerebit.

Liber duas in partes dispertitur. In altera hae sectiones: 1. Gradus primus — Fabellae breves, Ridiculae, De Aesopo, Aenigmata, Carmina (pp. 5-28). 2. Sententiae — Sententiae breves per saturam, Sententiae secundum argumenta dispositae, Sententiae ex Vetere Testamento, Veteres Indorum sententiae (pp. 31-48). 3. Res veteres — Narratiunculae, Facete Dicta, Praeclarae veterum voces, Notabilia quaedam (pp. 51-96). 4. Hortulus jucundus — Fabellae longiores, Aenigmata (pp. 99-122).

In parte altera voluminis octo sectiones: Ex Novo Testamento; Phaedrus, Cornelius Nepos, Ovidius, Tibullus, Caesar, Anthologia Lyrica, Lectiones de Historia Romana (pp. 127-484). Breviusculae notiones de Prosodia et arte Metrica (pp. 487-503). Atque solutiones aenigmatum (pp. 505-507). Maxime lectoribus PALAESTRAE LATINAE hoc opus commendare juvat, quo certe Latinitatis studium in dies evolvetur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

BERGUIN, HENRI. — *Grammaire Latine*. A. Hatier, 8, rue d'Assas, Paris. — VI, 1957.

Inter innumeras paene Latinae linguae grammaticas, conspicuum haec sane locum, procul dubio, in litterarum provincia obtinebit. Etenim paedagogica hodierna ratio, cum intrinsecus tum extrinsecus, hoc in opere mi-

re splendescit Librum dumtaxat aperias, atque animus statim non oblectari non potest. In eo conscribendo et perpoliando quattuor Latinae linguae clarissimi magistri laborarunt: H. Berguin, A. Hano, G. Pettot, G. Planche. Domus vero A. Hatier tota typographica arte ornataque, id quod maxime Latinitatis cultori ducendum, librum locupletavit.

Ars haec grammatica, ipsorum ex scriptorum proposito, «ne prétend pas être complète, ni savante, ni révolutionnaire, mais claire et pratique». At vero studium in opere servandi normam «practicam» minime impedit quominus ante oculos ab auctoribus progressus ex hodierna paedagogia proponantur.

3. Ea autem «systematica» Morphologiae distinctio a Syntaxi, facile lectorem juvabit; tabulae uniuscujusque conjugationis et syntheticae et analyticae rem scite, in discipulorum scilicet commodum, detegunt; exempla vero in Syntaxi selecta sunt; studium Latinae orationis simplicis et compositae accuratum; capita quae res summam perstringunt («recapitulatifs») consentanea; index tandem libri analyticus commodissimus: totius operis facilissima est clavis. Paucis, est cur Latinitatis alumni grammaticae huic libenter operam dare intendant. «Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci».

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

GAUTREAU ET ROSSET. — *Grammaire Latine*. Classes du 1.^{er} cycle. Les éditions de l'École, 11, rue de Sèvres, Paris, 1957.

Nova haec grammatica Latina tanquam summa vel compendium est alius grammaticae Latinae — *Grammaire latine (pour toutes les classes)* — ab eisdem claris professoribus, M. Gautreau-Ch. Rosset, nuper in alumnorum Latinitatis usum exaratae. Ducentis admodum pagellis,isque affabre editis, liber constituitur.

Textus nempe hic tironibus levior, ideoque non nullis minoris momenti praeceptis apte caret. Paragraphorum autem numeri cum eis grammaticae Latinae «completae» facilitatis causa, consonant. Rite typorum distinctio et rei distinctio alumni menti elucet.

Opus hoc, ascendenti sane ratione, perficit illud «*Cahier de Grammaire latine (pour les clas-*

ses de sixième et de cinquième)», a praeclaro viro Ch. Rosset digestum. Qua quidem re sensim sine sensu efficitur, ut lingua Latii juniorum mentibus commode inhaereat, quod est videlicet propositum Domus «Les Éditions de l'École».

His finem pono, illud ex animo professorum M. Gautreau-Ch. Rosset describens: «En publiant un *Cahier* et deux *Grammaires*, nous espérons avoir marqué prudemment les étapes nécessaires dans l'acquisition de ces éléments du latin que la pratique de nos *Exercices* rendra familiers aux élèves du premier cycle des classes secondaires».

A. MARQUÉS, C. M. F.

COMES, GIOVANNI. — *Latina Vox*. Antologia Latina per la Scuola Media. Angelo Signorelli Editore, Roma.

Volumen hoc 382 solidarum pagellarum ad sermonem Latinum delibandum curioso discipulo traditur. Praecipua ibi excerpta e Sancto Evangelio, Phaedro, Eutropio, Cornelio Nepote, Caesare, Cicerone, Catullo, Tibullo, Ovidio, Martiale, Quintiliano, Plinio Juniore, reperies (pp. 3-325).

Aliquantulum vero spatii et «Humanistis» de Latinitate bene meritis, Petrarcae, Pontano, Sannazaro, a claro libri hujus auctore tribuitur. Carmen enim «*Italica Salutatio*», Petrarcae; «*De Tumulis II, 2*» et «*De Amore Conjugali II, 12*», Pontani; et «*Praeseptum*», Sannazari recoluntur (pp. 329-334).

Atque non nulla de ratione vitae Romanae perstringuntur: De Calendario, Romanorum religione, sacerdotibus, sacrificiis, precibus, templis, ritibus funebribus; de exercitu, machinis militaribus, nautica, institutionibus politicis et socialibus; de vita privata, institutione, schola, familia, festis, ludis (pp. 335-348). Nominum tandem propriorum indice totum opus perficitur (pp. 349-382).

Plurimae, eaeque nobiles, toto libro tabulae pictae de re Romana eduntur concinne excusae. Notulae vero ad calcem et conspicuae et sobriae et eruditae. Nullibi farrago critica, philologica, historica, geographica. Liber Latinitatis discipulo, quod in votis clarissimi viri G. Comes, omnino aptus.

PHILOPONUS, C. M. F.



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. IV — (FASC. II) — N. 14

M. JUNIO

A. MCMLVIII

—Quid significat schola?
—Graece «otium» significat,
quia discipuli a ceteris nego-
tiis vacant ut litteras discant.
Qui docet est «doctōr» seu
magister; qui discit «disci-
pulus» seu alumnus.



AULUS ET MARCUS SCHOLAM PETUNT

*Aulus et Marcus bene mane e somno
excitantur a paedagogo, deinde vestes in-
duunt, faciem lavant, capillos comunt,
toga praetexta se amiciunt.*

*Superiore anno ludum litterarium
frequentarunt ubi in litterarum elementis,
legendo maxime et scribendo, sunt eruditi.
Nunc autem scholam adeunt, ubi ma-
gistrum audiunt in grammatica aliisque
disciplinis valde versatum, qui pueros
edocet grammaticam, historiam, terrarum
descriptionem, mythologiam, mathemati-*

*ca. Ambo confabulantes pergunt atque
elegantem togam praetextam gerunt, ut par-
est nobili adolescentulo Romano; in ma-
nibus autem pugillares habent.*

*Schola —ut videtis— non est an-
gusta sed valde capax; ad januam non-
numquam est ostiarius qui advenientes
pueros salutatur eosque in amplam porti-
cum, ubi schola habetur, ducit; juxta est
hortus ubi flores et arbores ab ipso ostia-
rio diligenter curantur.*

Cavenda est eventorum cupiditas

Multos abhinc annos –adulescens tum eram et fabellis delectabar– hanc fabellam mihi ad focum sedenti avia narravit.

Fuit olim cuniculus –fratrum minimus natu– parvulus quidem corpore, sed ineundi pericula stidiosissimus, cui, ex candido pellis colore, nomen «Albulo» inditum est.

Quodam die cum eum vitae domesticae pertaederet et cum jam dilu-cesceret, caeruleo focali (*corbata-cravate*) indutus, baculo sumpto ac vale matri dicto et fratribus qui in abdito latibulo, fortunati vitam transigebant, ad eventa quaerenda profectus est. Ei variis cogitationibus mente sevocato, per densam silvam procedenti, magus ex inopinato obviam venit, qui caeruleo focali arrepto, statim fugam per frondes capessit...



«Albulus» lacrimas effundens, magum fugientem longo spatio persecutus est usque ad turrim quae in media silva erat exstructa. Sub turri porta ferrea, et superiore loco parva et vetusta fenestra erat in qua clarissimi regis filia oculis caeruleis rubraque coma conspiciebatur...

Quae, cum cuniculus vidisset, magno timore perterritus est.

Magus puellam invitaverat ut e turri descenderet, promittens se illam raeda vectam ad patrem delaturum, qui longe a turri vitam agebat. Ex caeruleo «Albuli» focali et duabus linteis magus funem contexuerat ut per eam regia adolescentula in terram descenderet... Quae, cum amicitiae simulatione decepta per funem descendisset, in magi potestatem venit qui, gaudio exsultans, illam captivam ad speluncam suam duxit.

Regis filia ubertim plorans clamabat:

–Heu me miseram, heu me infortunatam! Maxime me paenitet in turri non permansisse. Pater meus, o saevissime latro, melior te erat, quamquam in hoc vetere castello me captivam retinebat.

Haec omnia «Albulus» tristis et sollicitus videns, secumque considerans se fortasse regiam filiam redimere posse, magum secutus est; magus vero cum ad «Albulum» revertisset, ira incensus, multis eum verberibus affecit. Sed ille, sublato primo timore concitatoque cursu, latronem insecutus est.

<p><i>Divide et impera Spe labor levis Usus magister Abstine et sustine</i></p>

Jam magus in speluncam —ad montis radicem positam— venerat, alligataque regis filia ad arborem, ut fugere non posset, ad domus clavem quaerendam in rupibus absconditam, profectus est.

Quam occasionem «Albulus» arripuit ut regiae filiae auxilio veniret; suspicans vero magus cuniculum illa facturum quae animo conceperat, statim rediens, adeo infortunatum verberavit atque vulneravit ut «Albulus» praeceps et in caput volutans per clivum in vepres decideret.

Multis acceptis vulneribus et magnopere cute laceratus surrexit, regisque filiam cum mago derelinquens, in turrim redire, ut caeruleum focale quaereret, animum induxit...

Magno gaudio exsultans, caeruleum focale e fenestra adhuc pendere vidit, maximamque cautionem adhibens, manibus pedibusque nodos diducere temptavit.

Quae cum «Albulus» effecisset, a tergo subito rex ipse affuit, manipulum militum ducens ut filiam, quam ipsemet in turrim conjecerat, quaereret et:

—Ecce, inquit magna voce clamans, hostis et latro qui filiam meam dulcissimam arripuit..., tenete eum, milites.



Milites ergo «Albulum» captivum duxerunt eumque in media silva pedibus et manibus ad magnam arborem alligaverunt ut miser cuniculus poenas lueret...

Simul ut rex cum militibus ad filiam regis quaerendam profecti sunt, «Albulus» cuniculus denticulis acutissimis funes, quibus alligatus erat, rodere coepit quoad ab eis tandem solutus est.

—«Satis est, inquit, eventorum». Et properanter per silvam iter fecit domum suam ubi matrem et fratres ludentes invenit... Quem ut vidit, exclamavit mater:

—«Quid tibi accidit? Quid de eventis?».

—«Novi, «Albulus» plorans respondit, magum pessimum, regem qui, ira incensus, ad arborem me alligavit...; multis plagis, ut videtis, vulneratus sum..., fame pereo. Non amplius domo exhibo... Posthac bonus cuniculus ero».

Et, ut dixit, ita plane fecit.

Ceterum «Albulus» dicitur vitam protraxisse et mollem jucundamque senectutem egisse, Regem in libertatem filiam vindicasse magumque in eandem ejus speluncam conjecisse ac per triennium saevissime eum multis multasse poenis.

Alumni inter se epistulas dant

Joachim M.^a Guimerá Bonedicto Josepho Pons.

Care amice: Forsitan cogites me te amicum dicere simulate et non ex animo. Minime! Ego jam inde a primis litteris sum et ero semper amicus tuus, quamquam nondum te novi. Spero fore ut tu quoque mihi amicus sis.

Ego sum tredecim annos natus. Emetior quartum cursum bacchalaureatus. Mihi est nomen Joachim M.^a Guimerá Mariné. Sex habeo fratres quorum tres in eadem Congregatione commorantur atque ego.

Ego his litteris non solum amicitiam colo, sed quaero etiam discere linguam Latinam. Cura ut valeas.

Scribebam Barbastri, Idibus Febr. a. MCMLVIII.

Benedictus Josephus Pons Joachimo M.^a Guimerá s. d. p.

Litteras tuas cum gaudio accepi, in quibus te non simulate sed animo amicum esse velle dixeras: id mihi quoque placet.

Mihi Benedictus Josephus Pons nomen est. Tredecim annos natus, unum fratrem habeo, is autem aetate me multis annis praecedit: quintum enim et vigesimum annum agens, studiis jam expletis, legitimo nunc militiae tempore fungitur. Sorores autem duae sunt mihi, quarum altera viginti, altera septem annos nata est.

Linguae Latinae discendae tertium jam annum operam impendo. Viginti quattuor pueri sumus, in quattuor classes distributi ut vides, unaquaqueque classis paucis tantum discipulis constat.

Dic mihi, quaeso, quae sit ars vel professio patris tui. Pater meus artem textrinam exercet: laneis texturis conficiendis operam dat.

De Hispania nihil fere scio. Linguam enim Hispanicam non disco, sed tantum Britannicam, Graecam, Latinam. Per te patriam tuam melius cognoscere me posse spero. — Cura ut valeas.

Scribebam Dorniae — in Gallia —, octavo Idus Martias a. MCMLVIII.

Ignatius Casajús Joanni Serceau.

Cum te nondum cognoscam neque tu noveris me, quis ego sim primum dicam et de meis.


Natus sum abhinc tredecim annos in oppido cui nomen est Murchante, in ea parte quae ad Vasconiam veigit.

Ibi agricolae multum vini et olei et frumenti colligunt. «Murchante» habet circiter tria milia incolarum, qui locupletes sunt, quod terra feracissima frugum est ideoque optimum facimus vinum, frumentum, oleum.

Ego nunc quartum cursum in hoc collegio Barbastrensi ago; hic litteris vacamus et ludimus. Ludus qui maxime mihi placet est pediludium.

Die decimo V kal. Augustas profecti sumus ad montem Caunum ut ageremus sub tentoriis dies viginti aestivos. Mons Caunus (Hispanice *Moncayo*) est mons maximus omnium qui in provincia Caesaraugustana sunt, duo milia octingenta metra altus.

Scribebam Barbastro, Idibus Februariis a. MCMLVIII.



Inspice, pater, pictura mea melior est quam tua. — P. CODINA

Joannes Serceau Ignatio Casajús.

Litteras tuas a. d. IX Kalendas Martias accepi. Te bene latine scripsisse inveni.

Natus sum tredecim abhinc annos (a. 1944) in civitate cui nomen est Burdigala; loca, non montuosa, sed aequalia sunt; tamen parvi colles sunt

Ibi est Garumna quae fluit juxta urbem ipsam influitque haud procul a Burdigala in Oceanum Atlanticum.

Sunt multae vineae: vina bona sunt! In agris habitamus, extra urbem: in silentio vivimus ..

Scribebam Dorntae, in Gallia, a. d. IV Idus Martias anno MCMLVIII.



—Ego sane tremores tuos medicatus sum. Tibi autem mille pesetae solvendae sunt. — B. ELCANO.

me frater, ut de Missione transacta Almeriae te faciam certiorem.

Primum dicam quid de Missionibus senserim. Omnia mihi placuerunt: Missionariorum receptio; Hora Sancta Sacerdotalis a celeberrimo Patre Basilio a Sancto Paulo habita; quindecim Rosarii mysteriorum repraesentatio; Via Crucis cui tanta hominum multitudo adfuit; et denique Missionariorum digressio. Ut Missionarii vale diceremus Rector hujus Seminarii Missam peregit, cui aderat Excmus. ac Rvdms. Episcopus, omnes Missionarii, Canonici S. Ecclesiae Cathedralis; utrumque Seminarium et magna populi frequentia.

Si vultis ad alios meos sodales litteras mittere sic scribetis: *Juan López Quiñonero, Emilio Miras Puche, Antonio Pérez Fernández.*

Vale, carissime Joseph, rursus vale.

Almeriae, die XII a. Kal. Apriles, anno MCMLVIII.

Josephus Abad amico ignoto s. p. d.

Libentissime ausus sum hac epistula consuetudinem tecum inire; utinam in aeternum maneat. Maxime mihi placet amicitia conjungi cum adolescentulo qui ex eadem atque ego regione est.

Anno millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo cum parentibus ex urbe Almeria Sabatellum, in urbem sitam apud Barcinonem, me contuli. Ibi modo parentes commorantur. Volo te certiorem facere, multos Missionarios qui in Provincia et urbe Almeriensi missiones praedicarunt, esse Congregationis Claretianae; in quorum numero erat P. Angelus Fandos, hujus Seminarii Claretiani Superior, quem forsitan noveris. Pergratum mihi feceris si cum litteras ad me dederis narras quomodo evenerit Missio. Vale.

Scribebam Barbastri, sexto nonas Martias.

Ignoto amico et nihilominus carissimo Josepho Abad Andreas Vilches Ruiz in Seminario Minor Almeriensi quintum Latinitatis Cursum peragens pacem et salutem plurimam dicit.

Valde gavisus sum cum tuas litteras accepissem, et hodie perlibenter tibi rescribo ad aliqua narranda. A me postulas, carissime

HORATIUS



1. Trigeminis Albantis devictis et occisis, exercitus domos abducti sunt. Primus Horatius ibat, fratrum spolia prae se gerens.

2. At soror virgo, quae desponsa uni ex Curtiis fuerat, fratri victori obviam ante portam Capenam venit. Quae cum cognovisset super umeros fratris paludamentum sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines et flebiliter sponsum mortuum appellat.

3. Sororis comploratio feroci juveni in victoria sua tantoque gaudio publico movet. Stricto itaque gladio, transfigit puellam: «Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat quaecumque Romana lugebit hostem».

4. Atrox id facinus Patribus plebique visum est. Sed recens meritum facto obstabat. Tamen ad regem ductus est. Qui, ne ipse iudicis et supplicii auctor esset, concilio populi advocato: «Duoviros, inquit, qui Horatii scelus iudicent, secundum legem facto».

VICTOR


5. Cum duoviri Horatium condemnassent, tum alter ex his: «P. Horati, tibi perduellionem judico. I, lictor, colliga manus». Accessit lictor eique laqueum injectit. Tunc Horatius: «Provoco», inquit.



6. Tum pater: «Filiam jure caesam judico. Ni ita esset, patrio jure in filium animadvertissem. Nolite me liberis orbem facere». Et amplexus juvenem ostentansque spolia Curiautorum fixa eo loco, qui nunc pila Horatia appellatur. «Hunc, inquit, Quirites, sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis?»



7. «I, lictor, colliga manus quae paulo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput liberatoris urbis hujus operi. Ex arbore infelici suspende; verbera dummodo inter pila et spolia hostium vel inter sepulcra Curiautorum».



8. Non tulit populus lacrimas patris, absolvitque Horatium. Sed ut caedes manifesta aliquo piaculo lueretur, patri Imperatum est ut filium pecunia publica expiaret. Is, piacularibus sacrificiis factis, transmissa per viam tigrillo, capite adperto velut sub jugum misit juvenem.




LUDAMUS PEDILUDIO

—Robur, juvenus, vires—

Vix ingredior inter cubitorum ictus conculcationesque eorum qui conantur primi intrare. Tradita janitori charta ingressum concedente in subsellium contendo circa quod multi spectatores, capite operto pileolo, sunt. Solum spectatorum clamores audiuntur, unus «Vincent Itali» alter «Non, sed vincent Hispani». «Exspectandum qui victuri sint», dicit qui ad dexteram meam nuper, pileolo e diarii charta facto, assederat. Et his aut verbis similibus hora certaminis advenit.

Lusores duobus ordinibus in campum procedunt; quorum adventus excipitur magnis clamoribus spectatorum qui suae factioni acclamant. Lusores conversi ad praefectum collocantur et illo salutato magna capitis inclinatione, ordines frangunt singuli in suam partem proficiscentes. Paulo post principes factionum se invicem consalutant, jactoque sursum nummo, ab arbitro alea jacitur.



Tunc certamen incipit. Lusor centralis Italus pilam seu follem in extremum mittit et, aliquot lusoribus Hispanis elusis, magna vi eminus in januam jacit, sed pila extra palum egreditur. Iterum pila per campum agitur: nunc eam capit lusor medius Hispanus traditque lusori centrali qui celeriter antequam ab se pila rapiatur, in januam eam mittit: quam janitor non capit! Nemo animo fingere potest quibus acclamationibus hoc spectatores Hispani accipiant: exsurgentes e subselliis plenis lateribus clamant: Eu, io, euge, Hispania! Interea lusores Hispani eum qui in rete pilam jecerat complectuntur eique congratulantur.

Dato signo ab arbitro ad certamen prosequendum, Itali alacres ludunt ad aequationem capiendam, dum Hispani pedes referunt ne pila in januam adveniat. Sed defensor dexter Hispanus, facto tumultu ad januam, invitus manu pilam tangit, et arbiter, iudicibus lineae consultis, factionem Hispanicam poena maxima punit; quod praeceptum cum lusori nostro non placeat, ut in tali re solet, arbitrum in malam rem jubet abire. Magna expectatio omnium fit cum, recedentibus omnibus lusoribus post pilam, arbiter dat signum; lusor designatus pilam jactat incumbitque in eam janitor sed labitur ex manibus. Nunc Itali gaudent suam factionem laetissimi adhortantes ostantesque. Jam punctorum aequationem consecuti sunt. Paucis post momentis arbiter horologium consulit et lusores, ut aliquantulum quieti dent, discedunt.

Postquam autem quieverunt, procedunt ad certamen insequendum. Nunc lusores Hispani pilam in ludum mittunt et post breve tempus, quo pila quoquoersus agitur, duo lusores ea potiri conantur; pila a lusore Hispano capitur et, cum jam spectatores animo gaudent, nam pilam in januam vident, arbiter fistulam canit quia alius lusor Hispanus ad januam dextrorsum se collocaverat et nullus post eum lusor erat praeter janitorem. Dexter defensor pilam in medium campum magna vi jactat et lusores, omni spe pedibus posita, quo melius possunt suo comiti pilam tradunt; lusor dexter extremus Hispanus pilam capit, qui currens recta, eam ad centram mittit, et hic in terram se proficiens ut si vellet capite eam tangere, in rete pilam introducit, magna peritia postica parte calcei impellens.

Iterum clamores fiunt et erumpit laetitia lusorum prementium manum gratantiumque. Solum quindecim minuta restant. Itali, omni spe adempta, ludunt, dum Hispani pro virili parte ad victoriam capiendam pugnant; praefectus factioni Italiae suos adhortatur: ne animo deficient; quindecim enim minuta multa facinora admittere possunt. Quo Itali paululum confirmati quaerunt occasionem pilae in Hispanorum januam introducendae; et eis occasio apparet Evadens solus cum pila medius dexter, mittit in extremum lusorem, qui properat in januam; cum jam prope janitorem est, hic se projicit ad pedes inimici venientis, sed nequit pilam capere.

Hora jam lapsa est. Arbiter fistulam canit, et lusores invicem plaudentes manibus super umeros ex campo exeunt, laeti alii, paululum maesti alii. Paulo post nihil in deserto campo sonat, praeter pileolos ex charta actorum diurnorum factos quos ventus huc illuc impellit et exagitat...


ANGELUS GONZALEZ

Seminarii Pontifici Comillensis alumnus (V. i. c.)



...Ignosce, bone. Dic, quaeso, quota sit hora.

AD SALTUM EQUI



RAIMUNDUS CARALT INVENT (ex Horatio)

FAMULUS FIDELIS

Dominus cum primo mane e lecto surgere deberet, dixit famulo: «Johannes cras mane me expergefacies hora quarta.

—Libenter, domine, id faciam.

—Cura ne obliviscaris.

Et Johannes, promissi constans, secum statuit ea nocte lectum non petere et, accensa candela, in sella sedit. Sed Johannes somno oppressus coepit libere beateque proflare... Subito expergiscitur ac summa consternatione affectus horologium inspicit et cum hora secunda jam esset mentisque haud parum compos, in cubiculum domini currens, clamat:

—Domine, domine!

—Quid est rei? Hora quarta? Interrogat dominus.

—Non ita domine, hora est secunda; sed veni ut dicam adhuc duas superesse horas ut requiescas. Eis optime fruire, domine.

Celsoae ANGELUS M.^a MONREAL.

DERISOR ILLUSUS

Callidi quidam discipuli conabantur irridere magistrum luminis oculorum expertem; quamobrem asinum in aulam adduxerunt.

Magister umbra, quae sibi discipuli esse videbatur, deceptus dixit: «Sede inter comites».

Barbastris

R. BOLADERES.

Lupus et cuniculus


Mihi erat in animo hanc fabellam vobis narrare, quod libentissime facto ea ratione ut gratum praebeam animum Consilio «Palaestrae Latinae» edendae praeposito, cum litteras Latinas me magni aestimare docuerit.

Accidit quondam ut cuniculus quidam lupo obviam forte veniret. Cum lupo fame urgeretur, «bestiola dilectissima», inquit cuniculo: «tu quidem mihi es in carissimis, sed nunc mortem nequeo vitare tuam quin ego fame peream». —Cuniculus autem, lupo callidior, ita eum est allocutus; «Istud, oro, ne feceris, patre lupe», (hoc namque nomine cuniculi ob reverentiam in lupos utebantur). «Quo me pacto madducabis misellam bestiolam? An existimas carnes meas satis tibi futuras ad replendas vel lacunas molarium? Miserearis mei, ventisque una mecum, nam te comitabor quo vacca saginatissima molaribusque tuis vere digna dormit omni expers cura. Ipsa tibi in multos dies escam suppeditabit».

Vacca saginatissima de qua cuniculus lupo loquebatur nihil aliud erat quam prunarum acervus cinere cooperatus, qui procul vaccae speciem referebat. Cuniculus certus erat de dolo, sed perstudiosus gaudia sibi comparandi, licet cum magno aliorum detrimento.

Cum lupo, memor beneficii a cuniculo oblatis, vitam et remisisset ac mira alacritate, cuniculo duce, convi-

PECTEN



a) Pani
b) Pago
c) Homini

d) Conato
e) Admirabili

vii locum peteret, e tumulo vaccae formam vidit magnaque est laetitia affectus. Cuniculus vero, cum jam parum a re abessent, his suasit amicum salutaribus consiliis: «Vide, dilectissime patruē; maxima tibi sollertia est adhibenda, si vis vaccam praedari, quovis enim sonitu excitatur. Solummodo apprehendes, si te toto cursu impetu in eam projeceris; secus praedam amittes».

Lupus cuniculo ad verbum oboedivit ac si de oraculi edictis ageretur. Cursum enim ita celerrimum cepit, ut postremo saltum faceret cubitorum plus minus decem, quo vehementiore vi in praedam irrueret.

Cuniculus, ut vidit stultum lupum in ignibus ad ventrem immissum, se quam primum fugae dedit, risum haud capax tenendi ob lupi inscitiam stultitiamque.

FRANCISCUS MEJIA

Seminarit Manaquensis alumnus, in Nicaragua.



Exactor. — Estne pater?

Puer. — Non est.

Exactor. — Scisne ubi sit?

Puer. — Scio, domine, post plagulam.

J. COMAS

FACETE DICTA

Ebrius, memoria parum tenax in taberna vinaria dicebat: Oblitus sum utrum uxor dixerit: bibe duo pocilla et redi hora undecima, an bibe undecim pocilla et regredere hora altera».

—Mihi dixerunt Baeticos facete mentiri. Si mihi statim dicis mendacium te quinque pesetis dono.

—Tantum quinque pesetis? nonne dixisti decem?

MAGISTER —Videamus, Theophile. Si dico Petrum emere panem, ubi est subjectum?

THEOPHILUS —In pistrina.

Barbastris

EDUARDUS MARTÍNEZ

Vⁱ C. alumnus

Ne puero gladium dederis

Amare parentes prima naturae lex

Homo doctus in se divitias habet

Sibi quisque optimus amicus

Non scholae, sed vitae discimus


MERCATOR

Mercator ad mercatum calvas defert quas exponit et: Hae sunt —inquit— calvae clarissimorum virorum. Unus ex emptoribus: «Cujus erat haec calva?».

—Haec fuit Julii Caesaris.

—Et haec parva cujus erat?, interrogavit iterum emptor. Mercator calvam spectans: «Haec calva etiam Julii Caesaris, cum puer erat».

VERBORUM AENIGMA



In transversum. — a) Consonans. Majoribus. Praepositio. b) Succulentam. c) Coniunctio. Concine. Adiectivum possessivum (*voc.*). d) Opportunitatis. e) Litterae e verbo «cur». Litterae e verbo «Ossa». f) Incola cuiusdam oppidi Hispaniae Tarraconensis (*dat. sing.*). g) Consonantes. Fructus. Vocales. h) Familiari (*versis litteris*). i) Consonans. Insula in Aegeo mari. Perge.

Ad perpendicularum. — 1) Adulor. 2) Loca deserti. 3) Atque. Coniunctio. Negotio (*ablat.*). 4) Os. Praeconiū (*versis litteris*). 5) Cornua (*acus.*). Corporis medulla. 6) Accede. Conamine. 7) Ingredior. Pronomen personale reduplicatum (*versis litteris*). 8) Litterae e verbo «est». Minime. Atque (*versis litteris*). 9) Dimissae. 10) Perditioni. A. M. ANDRÉS

SOLUTIONES

(Cfr. PALAESTRA LATINA, 1958, fasc. I, p. 315, 318 et 320)

Saltus eculi: Vitae brevis est cursus, gloriae sempiternus.

Verborum triangulum: 1) Rumination, 2) Unimanus, 3) Minutus, 4) Imulus, 5) Natus, 6) Anus, 7) Tus, 8) Is, 9) O.

Aenigma verborum. — *In transversum.* a) Salo. b) Cicuta. c) Matutini. d) Lac. Si. Nos. e) Erus. Ioca. f) Time. otN. g) otI. En. asU. h) Analecta. i) Obiui. j) Ixii.

Ad perpendicularum: 1) Leto. 2) Marita. 3) Cucumino. 4) Sit. Se. Abl. 5) Acus. Elix. 6) Luti. NetI. 7) otI. Io. Cui. 8) Annotati. 9) Iocosa. manU.


Pecten: a) Pati, b) Lati, c) Esse, d) Tali, e) Atri.
Solutiones miserunt: Angelus MILLAN, Antonius MIGUEL et Elias ESTEFANIA.

Barbastris

Aenigmata: (p. 319) 1) Ambo sibilant, 2) Sont repercusto, 3) Cucurbitas gignunt; 4) Calceus, 5) Securis.

Solutiones miserunt: Antonius MIGUEL et Elias ESTEFANIA.

CRATIS INTRICATA



A. ALSINA, delineavit.
Alumnus VI Cursus

Quid legis de PALAESTRA? Quidque de litteris? — Quis utraque dixit?

Cum inveneris, mittes ad Moderatorem, qui te praemio donabit.

FACETE DICTA

— Filius meus nequit emendari, mihi nunquam oboedit, ad stultos tantum animum intendit.

— Visne eum alloquar?

MATTHIAS MARTINEZ

Seminarii Missionalis alumnus

Artaxone

III^o Cursus

IN CAUPONA

— Cedo bini sextarium,

— Utrum mavis atrum an candidum?

Equidem utroque delector; caeco viro est...

I. ATIENZA, IV^o Cursus alumnus

Artaxone

VISNE LOQUI LINGUA LATINA?

Ut Romanorum lingua cum amicis colloqui possis atque in novis rerum inventis aptam in promptu semper habeas vocem Latinam, librum tibi in sermone adhibe socium, cui Index

NOVA ET VETERA

a Jos. M.^a Mir, C. M. E. conscriptum

En totius operis conspectus:

- | | |
|---|---|
| 1. Schola. Lyceum. Aula. | 11. Messis: agri aspectus. |
| 2. Corpus humanum. Animi relaxatio. Ludi. | 12. Venatio. Vindemia. Piscatio. |
| 3. Infantia et adolescentia. Sollemnia baptismatis in vico. | 13. Mons. Balnea. |
| 4. Festum publicum. | 14. Silva. Venatio. |
| 5. Juventus et senectus: Nuptiarum epulae. | 15. Mare. Portus. |
| 6. Juventus et senectus: Dies natalis avi. | 16. Urbs ejusque monumenta. Incendium. |
| 7. De domo ejusque constructione. | 17. Statio. Ferrivia. Naves. |
| 8. Pars interior domus: supellex, victus, illuminatio | 18. Deversorium. Caupona. Cafeum. |
| 9. Vicus hiberno tempore. | 19. Via. Mercatores. |
| 10. Villa verno tempore | 20. Macellum. Penus. |
| | 21. Receptaculum. Taberna universalis mercium. Crepundia. |

Prostat in officina Libraria: **GRAFICAS CLARET**

VENIT: 25 pesetis

Lauria, 5

BARCELONA

Magistros Latinitatis, Institutorum,

Seminariorum Professores

certiores facimus

Palaestram Adolescentium

separatim edi.

PALAESTRAM ADULESCENTIUM a magistris Latinitatis libentissime accipitur, qua in scholis utantur.

PALAESTRAM ADULESCENTIUM alumnorum animos ad litteras Latinas colendas vehementer excitat et incendit.

PALAESTRAM ADULESCENTIUM, magno solacio, suavissimo studio, festivo joco, omnibus est. — Rident pueri, rident juvenes, rident omnes!... et dum rident linguam Latinam discunt.

Commentarii a Missionariis Claretianis editi

ILUSTRACIÓN DEL CLERO: Sacerdotales commentarii menstrui			
In Hispania et Lusitania	veneunt	ptis.	65
Extra Hispaniam		doll.	2
TESORO SACRO-MUSICAL: Musices sacrae commentari trimestres			
In Hispania et Lusitania		ptis.	65
Extra Hispaniam		doll.	2
VIDA RELIGIOSA: bimestres commentarii de iis quae ad vitam religiosam spectant			
In Hispania et Lusitania		ptis.	40
Extra Hispaniam		doll.	2
EPHEMERIDES MARIOLOGICAE, trimestres de re Mariali commentarii			
In Hispania et Lusitania		ptis.	100
Extra Hispaniam		doll.	4
IRIS DE PAZ: commentarii menstrui			
In Hispania et Lusitania		ptis.	50
Extra Hispaniam		doll.	2

Venales prostant apud Revistas Claretianas

Buen Suceso, 22. Madrid

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIS, bimestres com- mentarii de rebus ad vitam religiosam pertinentibus, Latina lingua exaratin			
Italia		lib. It.	1.800
Extra Italiam		doll	4

Veneunt: Via Giacomo Medici, 3-5 Roma

Hunc emite Librum:

Historia de la Cruz y Crucifijo

scripsit Dr. A. SANZ

Optima charta, perspicuis typis, plurimis photographiis.

Nullibi librum invenies hoc meliorem neque minoris emes.

Charta contextus, 25 ptis.

Linteo, 30 ptis.

Charta dentata linteoque contextus, 35 ptis.

Vendilis prostat in Aedibus «Palaestrae Latinae»

Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca) España